




IN DIONYSIUM PERIEGETAM

QUAESTIONES CRITICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ALBERTINA REGIMONTANA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIX. MENSIS JANUARII A. MDCCCLXXXVIII

HORA XI

IN AUDITORIO MAXIMO


UNA CUM THESIBUS ADIECTIS PUBLICE DEFENDET

EUGENIUS ANHUT

BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

RICARDUS HELWIG, STUD. PHIL., SEM. PHILOL. SOD.
JOANNES GRUNAU, STUD. PHIL.



REGIMONTI.

EX OFFICINA LEUPOLDIANA.

MDCCCLXXXVIII.

LUDOVICO KRUG DE NIDDA

STUDIORUM MEORUM FAUTORI

PIO GRATOQUE ANIMO.

Ex controversiis et dissensionibus de Dionysii Periegetae patria et aetate iam apud veteres ortis grandis moles nata est disceptationum, commentariorum, librorum, mirum quantum inter se discrepantium,[1]) ut Hillio,[2]) ipsum Apollinem Delphicum, si de re adeo dubia consultus fuisset, non nisi anceps aliquod responsum redditurum fuisse, summo iure affirmare licuerit; atque hisce tandem temporibus

---

1) Non opus mihi videtur esse hoc loco omnes hos libros enumerare; sententias, inter se aberrantes, collectas invenies:

a F. Jacobsio in Ersch et Gruber, Real-Enc. Sect. I. tom. 25, p. 343 (usque ad annum 1834 pertinentes);

in Seebode „Neues Archiv für Philologie und Pädagogik“ 1828. fasc. 2. p. 32 sqq.

Imprimis autem cf. Dionysii Periegetae editt., hoc saeculo in lucem provectae:

Συλλογῆς τῶν ἐν ἐπιτομῇ τοῖς πάλαι Γεωγραφηθέντων τύποις ἐκδοθέντων . . . δαπάνῃ ἀδελφῶν Ζωσιμιαδῶν, τόμος II, *ἐν Βιέννῃ τῆς Αὐστρίας*, 1808 (continens collectos veterum locos, Dionysium Periegetam commemorantes.)

F. C. Matthiae (una cum Arati Phaenomenis et Eratosthenis catasterismis) Francofurti a. M. 1816.

F. Passow, Lipsiae 1825.

Godofredus Bernhardy, Geographi graeci min. tom. I, Lipsiae 1828, (qui ultimus mansit); periegesin immenso ac perutili commentario instruxit.

Carolus Müller, Geogr. graeci. minores; tom. II. Parisiis 1861.

2) Hillius (1619—1667) in praefatione editionis Dionysii Periegetae, commentario critico et tabulis illustratae, Londini 1679.

G. Leue,[3]) cum duo acrosticha, carmini a poeta ipso inserta, indagasset, Dionysium natum esse Alexandriae atque floruisse Hadriano imperatore, comprobavit. Fortuna igitur benevolentissima opus erat, ut, quae per tot saecula tenebris quasi obruta viros doctos fugerant, patefierent atque dissensionum, quas dixi, finem facerent. Attamen his acrostichis forte fortuna in lucem prolatis, controversiae nondum plane sedatae videntur esse: nam G. F. Unger, qui vir doctissimus Caroli Mülleri sententiam,[4]) Periegetam, Nerone imperante, floruisse technicum Romae contra Tychonem Mommsenum,[5]) ante Augusti aetatem poetam vixisse, contendentem, docte sciteque defendit magisque stabilire studet,[6]) a sua opinione discedere maxime gravatus, nuper causas conquisivit, quibus cum Leuei acrostichorum interpretationem ineptam demonstrare tum suam sententiam alia ac Leueiana explicatione comprobare intendit.[7])

3) G. Leue, Zeit und Heimat des Periegeten Dionysius in Phil. XLII, p. 175 sqq.

4) cf. Geogr. graec. min. tom II. p XV sqq.

5) Novissimam diversarum sententiarum collectionem habes in Tych. Mommseni diss. program. Francof. a. M. 1879, quae inscribitur „Die Präpositionen συν und μετα bei den nachhomerischen Epikern mit litterargeschichtlichen Excursen namentlich über Dionys den Priegeten“ — imprimis cf. p. 74, ubi calidius quam callidius dixisse virum doctissimum „Kurz, die ganze Stellung unseres Periegeten ist am leichtesten und einfachsten zu erklären, wenn er nicht nur vor Ptolomaeus, sondern auch vor Strabo und Augustus schrieb und in Asien lebend von seiner Studierstube aus nichts mehr von den Ländern des Westens erzählte, weil er nicht mehr davon wusste,“ comprobandi saepius infra occasio praebebitur. — hoc loco cf. Alfredi de Gutschmid sententia, ut quantum inter se discrepaverint et a vero aberraverint viri docti, appareat: Phil. X. p. 703 „crediderim, Dionysium carmen suum edidisse circa annum 303, quo Diocletianus vicennalia celebravit ac simul cum Maximiano triumphum de Persis egit.“

6) G. F. Unger, Dionysius Periegetes, in Fleckeisen, annal. phil. 1882 fasc. 7. p. 449—464.

7) G. F. Unger, Dionysius Periegetes, Nachtrag zu Jahrgang 1882 — in Fleckeisen, annal. phil. 1887. fasc. 1.

Quorum dictorum, quae callide et artificiose periegesi poeta ipse, ludibundus quasi, intexuit, cum alterum a v. 109 incipiens „ἐμὴ Διονυσίου τῶν ἐντὸς Φάρου“ ne minimam quidem habeat dubitationem, alterum a v. 513 initium capiens „θεὸς Ἑρμῆς ἐπὶ Ἀδριανοῦ“ in diversam sententiam explicatur: Leue enim, ut supra jam commemoravimus, „imperatore Hadriano carmen compositum esse, Mercurio adjuvante,“ interpretatus est, Unger, postquam tribus causis fieri non posse, ut imperatoris Hadriani aetate poeta scripserit carmen, contendit, non dici acrosticho imperatorem vult, sed magistratum quendam Romanum aut sacerdotem Imbrium, cui fuerit nomen Hadriani, Augusto regnante, munere functum.

Quas Ungeri causas atque interpretationem paulisper considerare mihi liceat.

Ante Hadriani imperatoris aetatem vixisse Periegetam, primum inde apparere, censet Unger, quod poeta in v. 920 Syriae oram maritimam dicit „Ἀντιόχοιο γαῖαν,“ nam, cum ultimus Syriae regum, quibus Antiochi nomen erat, a Vespasiano e regno expulsus esset, vocem Ἀντιόχοιο γαῖαν non inveteravisse sed post unum saeculum jam exstinctam fuisse, arbitratur; deinde, quod in vv. 304 et 305 Getae et Daci appellantur gentes disjunctae, cum saepius apud scriptores (cf. Strabo p. 304, Plin. IV. 80) voce Getarum idem significetur populus ac Dacorum, jam vero imperatoris Hadriani aetate, qua Dacia iam fuerit imperii Romani provincia, eae gentes variis nominibus dici nequeant; tum Hadriani aequalem fuisse Dionysium, Unger vetari vult, quod vv. 1051 sqq. nimis attollatur Trajani victoria, a Parthis reportata, quam commemorare vix licuerit poetae Hadriani temporibus, quibus huius victoriae fructus non modo non exstiterint, sed etiam recens bellum, a Parthis imperio Romano imminens, nulla re nisi imperatoris facilitate atque obsequio prohibitum sit.

Quas causas qui inspexerit, leviores esse intelleget, quam quibus Leueiana facilis atque sana acrostichorum explicatio perverti possit.

Non enim rectam video rationem, cur ex voce *Ἀντιόχοιο γαῖα* fingi oporteat, tum regnasse Antiochum — an memoriam tredecim illorum Antiochorum, Syriae regum,[8]) populi Romani rebus saepissime implicitorum, tam celeriter evanuisse, arbitramur, praesertim cum aeternum Antiochi nominis monumentum etiam ad nostram aetatem permanserit? Ceterum cum, regionem circa Antiochiam urbem sitam *Ἀντιοχίς* appellari a veteribus[9]), satis comprobatum esse sciamus, ut Themistio Oratt. IV. p. 57 B. et 23 p. 299 A. *ἄστυ Ἀντιόχου* et Gregorio Nysseno vol. II. p. 177 C. *Ἀντιόχου πόλιν* Antiochiam urbem dicere licuit, ita *Ἀντιοχίς* regionem a Periegeta vocari posse *Ἀντιόχοιο γαῖα*, etiamsi tum non regnaverit rex, hoc nomine praeditus, haud cuiquam mirum videri potest.[10])

Praecipue autem virum doctissimum fugisse videtur, Periegetam minime describere situm terrarum, conditiones gentium, mores hominem, qualia sua aetate fuerint,[11]) sed

---

8) cf. Eckhel, Doctr. numm. vet. vol. III. p. 213—248 et Pauly, Real-Enc. s. v.

9) Strabo p. 751: *Ἀντιοχίς*. Mela I. 11, (ubi se Ciliciae committit Antiochia) I. 12. („Syriae . ., cui Antiochiae cognomen additur"); quo utitur auctore Plinius, Nat. Hist. V. 66 (Syria litus occupat . . plurimis distincta nominibus . . et ubi Ciliciam attingit Antiochia) — V 79 (Syriae Antiochiae promuntorium) VI 24 (Antiochiae tractus). Quem Plinii natur. hist. locum ad verbum fere in usum suum convertit Martianus Capella VI. 678.

10) Hanc sententiam etiam promulgavit Tycho Mommsen l. c. p. 69, annotans Eustathium interpretari *Ἀντιόχοιο γαῖα . . τὴν Ἀντιοχέων γῆν . . ἡ περὶ Ἀντιόχειαν χώρα.*

11) cf. Eustathius in initio commentariorum (cf. Müller, Geogr. gr. min. II. p. 205, 22, sqq.): *καλὸς μὲν γὰρ ὁ Διονύσιος καὶ γλυκὺς ᾄδειν καὶ φράζειν γοργὸς καὶ παντοῖος τὴν ἱστορίαν καὶ πολλῶν ἀνθρώπων ἰδὼν ἄστεα καὶ νόον γνοὺς ὀφθαλμῷ καὶ διδασκαλίᾳ μουσᾶν.*

res ex diversissimis fontibus, saepius ex remota vetustate desumptas, versuum satis politorum vinculis obstringere, quin etiam auctorum verba in usum suum convertere.[12]) Quod imprimis cadit in alteram Ungeri causam; nam, ut Dionysius in describendis Ponti accolis, Thracibus, gemmis (vv. 302—7, vv. 316—29. v. 1031) ducem sibi delegit Metrodorum Scepsium, id quod Goethius comprobavit, ita eum ex eiusdem auctoris opere hausisse Getarum, Bastarnarum, Dacorum, aliarum gentium enumerationem atque inde finxisse, has gentes in diversis terris habitare variisque nominibus appellari, verisimillimum est.

Sed minimi momenti tertia Ungeri ratio est, non licuisse poetae, Hadriani temporibus opus conscribenti, recordari Traiani victoriae, cum diceret v. 1052

. . . . *Πάρθους*
Αὐσονίου βασιλῆος ἐπεπρήϋνεν ἀκωκή —

mihi enim non persuasum habeo, poetam spectasse solum ad Traianum: nam ut nominis Romani laudibus extollendi occasionem, ubicunque praebetur, libenter arripit (cf. v. 333, vv. 345 sqq. v. 355. . Romam celebrantes

Ῥώμην τιμήεσσαν ἐμῶν μέγαν οἶκον ἀνάκτων)

ita hoc loco (v. 1052), quo nullus praestitit facultatem magis opportunam blandiendi imperatori, populum Romanum virtute bellica omnibus gentibus praestare et „Ausonii regis hasta omnes quantumvis indomitas nationes castigari", pleno ore praedicat.

Videamus nunc, quam in sententiam Unger acrostichum, de quo est disceptatio „*θεὸς Ἑρμῆς ἐπὶ Ἀδριανοῦ*" interpretetur. Iam Leue acrosticha non sine iusta causa ex vv. 109 sqq. et 513 sqq. primis litteris constare perspexerat: alterum enim, nomen et patriam Dionysii indicans, insertum est ei

---

12) Imprimis cf. laudabilis dissertatio inauguralis Gottingensis Alfredi Goethii, de fontibus Dionysii Periegetae. 1875.

periegesis parti, qua primum Pharos insula, poetae patria, commemoratur, alterum, quo praedicatur *θεὸς Ἑρμῆς*, „mercurialium virorum" patronus ac tutela, carmini intextum est, ubi in enumerandis insulis, secundum Asiae oram sitis, Imbrum describit, qua in insula antiquitus Mercurius colebatur.[13]) Sed Unger, qui, ut haec verba ad suam sententiam accomodet, summa doctrina operam dat, cum acrostichum *θεὸς Ἑρμῆς ἐπὶ Ἀδριανοῦ . . . . ἐν Ἴμβρῳ γέγονε*[14]) per ellipsin intellegi vult, Mercurium in Imbro insula in numerum deorum receptum esse, Hadriano quodam magistratu Romano aut sacerdote Imbrio, interpretatur; quod factum esse Octaviani temporibus, argumentis ex antiquis scriptoribus desumptis approbare studet. Sed non opus erat his rationibus, docte sane ac prudenter collatis: nam haud cuiquam Unger persuadeat, Dionysium, qui ipse sese ad ignaros erudiendos[15]) conscribere librum profiteatur, acrostichi tenebris involvisse, quae, si recte Unger coniecisset, unus ex veteribus scriptoribus memoriae tradidisset. Quam ob rem haec explicatio, quamvis magna sagacitate et doctrina composita sit, quin haud cuiquam comprobetur, dubium esse non potest.

Accedit huc, quod Unger ad suam interpretationem comprobandam praeter tres, quas supra commemoravimus, aliam quoque affert causam, quae quam perversa sit, primo adspectu elucet: Periegetam vocem *θεὸς*, acrostichi partem,

---

13) cf. Steph. Byz. *Ἴμβρος νῆσος ἱερὰ Καβείρων καὶ Ἑρμοῦ, ὃν Ἴμβραμον λέγουσιν οἱ Κᾶρες* . . et Eustath. comm. ad v. 524, qui ex Stephani lexico ad verbum fere excerpsit haec: *ἐτιμᾶτο δὲ αὐτόθι καὶ Ἑρμῆς, ὃν Ἴμβραμον λέγουσιν οἱ Κᾶρες.*

14) Mihi dubium videtur esse, num per ellipsin affingere liceat huic acrosticho verbum *γέγονε*; quodsi in vocibus *θεὸς Ἑρμῆς ἐπὶ Ἀδριανοῦ* . . simul audiri *γέγονε* poeta voluisset — *ἐξ Ἀδριανοῦ* dixisset —

15) v. 170.

νῦν δέ τοι ἠπείρου μυθήσομαι εἶδος ἁπάσης
ὄφρα καὶ οὐκ ἐσιδὼν περ ἔχοις εὔφραστον ὀπωπήν.

carmini non inserturum fuisse, opinatur, nisi huic vocabulo gravius aliquod momentum addere et hoc ipsum dicere voluisset, factum esse deum Mercurium; si poeta hoc exprimere non in animo habuisset, vocem θεὸς, ex quattuor litteris constantem, quas inserere acrosticho satis attulerit molestiae[16]), plane esse supervacaneam; dificillimum fuisse Periegetae acrosticha carmini inserere, inde apparere, censet, quod versuum initiis non plane recta haec verba fingantur; legi enim *ἐμὴ Διονυσιίου* et *θεὸς Ἑρμες* . . . rectissime! adhuc hanc lectionem praebent editiones, sed perverse: nam cum Leue, tum A. Ludwich, qui vir doctissimus et de re metrica et de ratione critica in recentioribus epicis pertractandis optime est meritus, hic in libro „Aristarch's homerische Textkritik nach den Fragmenten des Didymus dargestellt und beurtheilt. Nebst Beilagen“, (Leipzig 1885, tom. II. p. 587 sqq.) ille in Philologo l. c., vetustissimi codicis lectionibus plane restitui veram acrostichorum formam, luculentissime comprobaverunt. Sed de hac re infra nobis disputandum erit; hoc autem loco annotare mihi liceat, Periegetam, cum ingenio vetustioribus se esse inferiorem, sentiat, laudes sibi comparare arte metrica studere atque etiam libenter in ludibriis,[17]) quorum in numerum acrosticha referenda puto, versari.

---

16) cf. Unger l. c. „θεὸς ist das Prädikat des Satzes, sonst würden wir es nicht als Bestandteil des Akrostichons auffinden. Die Herstellung dieser Kunstform machte grosse Mühe, und wie sauer sie dem Dichter geworden ist, lehrt die Betrachtung der Anfänge von 517—21, welche nicht *ἙΡΜΗΣ* sondern *ἙΡΜΕΣ* ergaben (vers 520 beginnt mit *Εὐρώπης*) trotzdem aber akrostichisch jenen Gottesnamen darstellen sollen . . . also es ist ihm schwer; ohne Not würde sich D. der Aufgabe, 4 Verse nach einander mit den Buchstaben θεὸς anzufangen, nicht unterzogen haben!“

17) cf. Tycho Mommsen, l. c. p. 79. „Die Wortauswahl hält eine glückliche Mitte zwischen dem Seltenen und Gewöhnlichen; nicht häufig kommen dabei auch Spielereien, wie 416 ff., Allitteration (440) u. dgl. vor.“

Quare a me impetrare non possum, ut Dionysio, quem philologorum principes, Scaliger et Hermann, elegantissimum et nitidissimum praedicant versificatorem, haec ex primis versuum litteris verba fingenda tantas, quantas contendat Unger, molestias attulisse, mihi persuasum habeam.

Sed hactenus de patria et aetate Periegetae. Nunc convertamus animum ad fructus, qui ex indagatione acrostichorum percipi potuerint carmini emendando. Imprimis autem A. Ludwich in libro, quem commemoravi, tom. II. p. 588 editores, etiam novissimum, Carolum Müllerum, adhuc rectam viam carminis ad genuinam formam redigendi nondum iniisse, ostendit, quod vetustissimum codicem Dionysii Periegetae, cod. Mutinensem — A —, non tanti aestimaverint, quanti eum habendum esse, acrostichis patefactis, nunc apparuerit. Atque etiam si Müller cod. Mutinensis lectionum, quae ei innotuerunt, auctoritatem plane intellexisset,[18]) tamen fieri non poterat, ut hunc praestantissimum codicem in rectum usum adhiberet: nam lectiones, quas ex eo Pressel excussit et in Philologo III. p. 345 sqq. promulgavit, tam mendosae sunt, ut ne adumbrent quidem codicis speciem et imaginem.[19]) Qua re A. Ludwich denuo hunc codicem accuratissime inspexit atque lectiones a Mülleri editione discrepantes in libro suo tom. II. p. 589 sqq. publici juris fecit. Quarum nubem quasi protulit vir doctissimus, ut me, hac dissertatione recensentem, quae in textum recipiendae, quae abiciendae sint, paululum huic carmini emendando profuturum esse, sperare audeam.

Codex Mutinensis[20]) — A —, nunc Parisinus No. 388,

---

18) Ludwich, l. c. p. 588: „Aber auch die ihm bekannten Lesarten des Mutinensis hat Müller bei weitem nicht nach ihrer vollen Bedeutung gewürdigt; viel zu häufig verbannte er sie in die Noten und bevorzugte im Texte die schlechtere Überlieferung."

19) Ludwich l. c. p. 587.

20) Omnium codd. significationem Mülleri retineo.

„membranaceus, forma quadrata minima, foliis 112, insigni scripturae et elegantia et antiquitate",[21]) cum omnium, qui eo continentur, scriptorum, princeps,[22]) tum in textu Dionysii constituendo summae est auctoritatis; is exaratus est saeculo X, cum aliorum codicum, qui ab editoribus adhibiti sunt, maxima pars ad recentiorem aetatem pertineant. Cuius codicis quamquam inspiciendi occasio mihi non oblata est, tamen vera imago fingi licet ex A. Ludwichii accurata collatione, non solum uniuscuiusque versus, vocabuli, accentus locum indicante, sed etiam — id, quod summum est — ostendente, quid correctoribus tribuendum sit.

Periegesis enim versibus, cuius textum et scriptor A_1 et emendator quidam A_2 correxerunt et saepius mendis contaminaverunt, addita est latina interpretatio interlinearis duobus manibus, A_3, quarum vestigia etiam in graecis carminis vocibus correctis cognoscere licet; praeterea rarius inveniuntur etiam quarti correctoris A_4 indicia.[23])

Quarum in codice exstantium correctionum de pretio paulo infra verba faciam, cum, quae subsidia in cod. Muti-

---

21) Immanuelis Bekker ad Theognid. praef. (Berol. 1827); accuratius codicem describi, Pressel narrat in Phil. III. p. 345, ab E. Millero in libro, qui inscribitur „Eloge de la chevelure" Paris 1840.

22) Bekker, l. c. praef. „Theognidem mihi iterum edenti codicum copia est septemdecim, quorum princeps est (A), quem olim Mutinensem vocavi, non quod Mutina Parisios venisset sed communi tum omnium, qui ex Italiae superioris bibliothecis Parisinae illati essent nomine . . continebat cum Theognide Homerocentonem, Phocylidem, Coluthum, Dionysium Periegetam."

23) Ludwich, l. c. p. 588. „Der ganze Text (A^1) ist teils von derselben teils von jüngerer Hand (A^2) durchkorrigiert. Durchweg finden sich lateinische Interlinearglossen übergeschrieben, und zwar von zwei verschiedenen Händen, die sehr häufig ebenfalls Correcturen an dem griechischen Text vorgenommen haben (A^3). Sie müssen jünger sein als A^2, weil sie auch einige erst von A^2 nachgetragene Verse mit lateinischen Glossen versahen. Endlich stösst man hin und wieder noch auf ganz späte Correctoren A^4."

nensis lectionibus diiudicandis mihi profuerint, paucis exposuero.

Summi momenti et maximae utilitatis mihi fuisse, profiteor, has dissertationes inaugurales:

Alfredi Goethii de fontibus Dionysii Periegetae (Gottingae 1875).

Maximiliani Schneideri de Dionysii Periegetae arte metrica et grammatica capita selecta (Lipsiae 1882).

Ut enim ille fontibus, ex quibus Dionysius orbis scientiam hausit, unicuique periegesis parti indagatis, primus Dionysianae geographiae rectam praebuit imaginem,[24]) ita hic, postquam de arte metrica Periegetae disseruit,[25]) eorum scriptorum locos, quos Dionysius in usum suum convertit, ita saepius, ut ad verba fere eos adhibeat, a Bernhardyo, Wellauero ad Apollonium, ab Ottone Schneidero ad Callimachum notatos et a se ipso inventos composuit atque de Dionysii significatione verborum eique vocibus propriis verba fecit. Ad Schneideri dissertationem haecce annotanda habeo: Quodsi is cum patre suo (cf. Callimachea II p. 382) consentit, Dionysium Callimachi fragmento 112 debere Cyrenarum urbis epitheton *εὔιππος*, quo urbem ornavit

---

24) id quod desideravit Franciscus Rühl in Museo Rhen. Neue Folge XXIX. p. 81 sqq.

25) Ex meis annotationibus collectis, priusquam Schneideri dissertationem inspicere mihi licuit, haecce addo: in atticis correptionibus enumerandis non fugerunt decem, ut Schneider commemorat p. 9, Hermannum, negantem, „se loqui de illis correptionibus, quae sunt in nominibus propriis aut omnino in eiusmodi vocibus", sed tantum 485 (*ὅπποτε τριλλίστων*) 492 (*μετὰ δρυμὰ*) 900 (*ὑπὸ πρῶνες*); uterque 695 (*τοῦ δὲ πρὸς*) 962 (*τῆς δὲ πρὸς*) neglexit. — Quodsi ex hiatuum nothorum enumeratione (p. 11) Schneider utilitatem percipi vult, unumquemque afferat necesse est: adde ad not. 6. p. 11. 838 (*ἐπιῤῥέει*) 998 (*πέλει*) 1110 (*ἐπιφλέγει*) — 1008 (*αργύρῳ*) — ad not. 7. correptio in quinti pedis secunda syllaba 195 (*ἀμπέχει*) ad not 8. 937 *ἢ θύου* | *ἢ*. 157 (*τόρνῳ ἐειδόμενος*) ad (p. 10) hiatus nothos in arsi admissos adde: 70 (*ἀγκέχυται ὅσπερ*) 530 (*Πελινναίου ὑπὸ*).

Pindarus (Pyth. IV, 2), p. 21 ei etiam hoc erat dicendum, Hesiodi locum, quem in usum suum convertit Periegeta, legi apud Callimachum: D. P. 644 *ποταμοὶ καναχηδὰ ῥέουσιν* = Theog. 367 = Call. in Del. 45, ut D. P. 1055 (*ἀενάων ποταμῶν* in II et III pede) = Opp. 737 = Call. in Cererem 14 eodem loco invenitur et D. P. 433 (*Ἀχελώιος ἀργυροδίνης*) = Theog. 340 = Callim. in Cer. 13. Praeterea fugit Schneiderum, ex Callimacho sumpsisse Dionysium v. 439 *Παρνησοῦ νιφόεντος* vocem eodem loco (in primo pede) dictam atque a Callim. in Del. 93.; in v. 342 (*σοφῆς ὑποεργὸς Ἀθήνης*) compositionem vocabulorum Periegetam hausisse ex Apollonii Rhodii versu I 226 (*θεᾶς ὑποεργὸς Ἀθήνης*) — alia, quae suo quaeque loco annotabo: ut in v. 842 *χοροστασίαι τελέθοιεν* (Call. in lavacr. Palladis 66.). Ceterum Dionysius, ut ad exemplum Apollonii Rhodii Argonauticorum periegesis initium finxit, (*ἀρχόμενος . . . . μνήσομαι* utriusque initium) ita in fine carminis (v. 1181: *ὑμεῖς δ' ἤπειροί τε καὶ εἰν ἁλὶ χαίρετε νῆσοι*) imitatus est Aratum, Theocritum, Callimachum, *χαίρειν* dicentes, quaecunque carmine celebrantur. Ad vocabula Dionysii, quae ab usu solemni recedunt, in p. 34 sqq. enumerata, addo *πέζα*; Periegeta significat hac voce, cuius usus frequentior ad plantam pedis et vestimenti limbum pertinet, in vv. 61. 535. 1162 radices montium, in vv. 504. 894. 931. 1081 continentis oram.

Imprimis autem Schneiderum fugisse videtur, in periegesi etiam Dionysii studiorum Arateorum vestigia saepius apparere; quae ut inquirere studuerim, impulsus sum Francisci Rühlii sententia,[26]) contendentis, Periegetam scripsisse quoque Diosemea. Hic enim vir doctissimus postquam, dubitari non posse, quin Lithica adscribenda sint Dionysio,[27])

---

26) F. Rühl, Dionysius Periegetes in Mus. Rhen. Neue Folge XXIX p. 81 sqq.

27) Maximilianus Schneider l. c. p. 3 „tribuo ei *περιήγησιν* et *Λιθιακά*“ —

accurate atque saepius sine recta quadam causa lapides enumeranti eorumque naturam ac vires tractanti, ostendit, ex Suidae nota, poetam, qui Lithica conscripsisset, etiam edidisse „*Μετεωρολογούμενα*“ sagaciter excussit,[28]) id quod etiam Periegetae vita codicis Chisiani R. IV. 20 (chart. 8⁰, saecl. XV), quem Rühl primum in lucem edidit, distincte praedicatur.

Quae „*μετεωρολογούμενα*“ ut scripserit Dionysius, verisimillimum esse, etiam in periegesi priorum, qui opera astronomica confecerunt, scriptorum vestigia exstitisse, suspicatus sum.

Ac profecto imprimis ex Arati Solensis libro, quem omnium manibus antiquis temporibus tritum esse, ex magno carminis interpretationum numero perspici potest, hausisse Dionysium, hocce comprobatur versu Periegetae ex Arato desumpto et hisce imitationibus:

D. 584: *ἠελίοιο βεβηκότος ἐς πόλον ἄρκτων*
λοξοτέρῃ γὰρ τῆμος ἐπιστρέφεται στροφάλιγγι
Arat. 43. *μειοτέρῃ γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι.*

D. 695 *τοῦ δὲ πρὸς ἀντολίην βορέην τ' ἐπικέκλιται ἰσθμός*
A. 486 *νότῳ δ' ἐπικέκλιται ἀγκών* —
A. 897 *νότῳ δ' ἐπικέκλιται ἄλλος.*

D. 1173 *ἄστρα διακρίναντες (θεοί)*
A. 11 *ἄστρα διακρίνας (Ζεύς)*

---

28) Rühl, l. c.: „Suidas: *Διονύσιος, Κορίνθιος ἐποποιός. Ὑποθήκας. Αἴτια ἐν βιβλίῳ α'. Μετεωρολογούμενα καὶ καταλογάδην ὑπόμνημα εἰς Ἡσίοδον. Οἰκουμένης περιήγησιν δι' ἐπῶν. ταῦτα δὲ εὗρον καὶ ἐν Διονυσίῳ τῷ τὰ Λιθιακὰ γράψαντι, πότερος οὖν αὐτῶν οὐκ οἶδα.* „Das *ταῦτα* muss jedenfalls mehr als die blosse *περιήγησις* begreifen und folglich der grammatischen Construction wegen ausser dem Hesioduskommentar auch noch die Meteorologumena; wenn nun die Lithica dem Dichter der Periegese gehören, so notwendig auch die beiden andern Schriften.“ Ex vita Dionysii codicis Chisiani haec commemorentur: „*γέγραπται δὲ αὐτῷ καὶ Λιθιακὰ βιβλία τρία Διοσημείων τε καὶ Γιγαντίων, ἕτερα . . .*“

omnino quae Dionysius in fine periegesis ad deos celebrandos profert, simillima sunt Arati Diosemeorum initio.

D. 176 eadem verba praebet atque
A. 231 (D. ἧχί περ ἄκρη; A. ἧχί περ ἄκραι). —

D. 760 χειμερίοις ἀνέμοισι
A. 759 χειμερίοις ἀνέμοις.

D. 528 = A. 514 ἱσταμένου εἴαρος, nisi id uterque ex Homeri *T* 519 excerpserit.[29])

D. 36, 451 φαείνεται ἀνθρώποισι
A. 135 φαίνεται ἀνθρώποισι.

D. 181 ἄνδρες ἐπικλείουσιν ὁμοίην
D. 1151 φῶτες ἐπικλείουσιν Ἄορνιν
A. 92 τὸν ῥ'ἄνδρες ἐπικλέιουσι Βοώτην.

D. 329 πάμπαν ὁμοῖος =
A. 115. πάμπαν ὁμοίη, quod uterque praebet in clausula versus. Addo duas voces astronomorum orationi proprias: εἱλεῖται, qua Aratus circumactum astrorum significat in vv. 46. 53. 224. 445, a Dionysio adhibitam ad pingendum mare fluctuans in v. 925 et continentem coarctatam in v. 162. Ut haec vox εἱλεῖται plerumque ab utroque in primo pede ponitur, ita vocem ἐστήρικται Aratus in vv. 230. 274. 351. 500, Dionysius in vv. 204. 495. 551 in clausulae versus adhibent.

Quibus imitationibus, in periegesi, quae rara tantummodo voces astronomicas afferendi praebet occasionem, exstantibus, Dionysium studiosum fuisse Arati, comprobari, haud quisquam neget; equidem hisce Arateorum vestigiis Francisci Rühlii sententiam, Dionysium auctorem esse Diosemeorum, suffulciri contendo.

---

29) False annotat Müller ad v. 528, ἱσταμένου praeberi non solum codicibus et ab Eustathio in libris inventum esse, sed etiam lectum esse a paraphrasta; at is scribit: ἔαρος ἀρχομένου (cf. Mülleri ipsius editio paraphrasis), quo ex vocabulo excuti non potest, legisse eum ἱσταμένοιο, praesertim cum codd. habeant ἀρχομένοιο.

Postquam igitur, quae dissertationes mihi profuerint in diiudicandis codicis Mutinensis lectionibus, ostendi, pauca disseram de utilitate interpretationum latinarum, scholiorum, paraphrasis, commentariorum ad periegesin antiquis temporibus conscriptorum.

Periegesis interpretationibus latinis Rufi Festi Avieni et Prisciani grammatici[30]) in textu restituendo maxima omnium, quae ex antiquis temporibus ad nos pervenerunt, scriptorum ad Periegetam spectantium auctoritas tribuenda est, quod ex iis diiudicare licet vetustissima, quae nobis innotuerunt, Dionysii periegesis exemplaria; Avieni illius quidem carmen, quod inscribitur in codd. quibusdam „situs orbis“ vel „ambitus orbis“, quia poeta saepissime suo fertur ingenio, recte dicitur non mera interpretatio sed poetae opus proprium a Wernsdorfio aliis.

Contra Priscianus, qui religiosum interpretem ubique se praestat,[31]) accuratissime et ad verbum fere Dionysii carmen expressit.

Sed hoc loco cum mihi videatur supervacaneum esse, discrepantias inter periegesin Dionysii et utriusque interpretis carmina exstantes, aut quae uterque addidit aut omisit,[32]) repetere, paucis ostendam, corruptelis et inter-

30) cf. Teuffel R. L. p. 981 sqq. et p. 1146 sqq. De interpretum aetate et scriptis disseruit Wernsdorf, Poetae latini minores Tom. V. p. 621 sqq. . . Avienum floruisse Valentiniani et Valentis ac fortasse Constantii et Juliani temporibus — Priscianum Justiniano imperatore vixisse technicum Constantinopoli. cf. etiam Mülleri Geogr. graeci min. II. Proleg. p. XXVIII sqq.

31) cf. Bekker, ed. Apoll. Dyscolum 1817, p. 347. „Priscianus fidus plerumque Apollonii interpres.“ cf. Des Apollonius Dyskolus 4 Bücher über die Syntax übersetzt und erläutert von Alex. Buttmann, Berlin 1877. p. XXII. sqq.: „Was das Werk des Priscian betrifft, so enthält das 17. Buch zum Teil in wortgetreuer Übersetzung die beiden ersten dem Artikel und dem Pronomen gewidmeten Bücher des Apollonius.“

32) De hac re satis erit contulisse completam Mülleri discrepantiarum enumerationem in Prolegg. p. XXIX sqq.

polationibus iam vetustissimos libros periegesis contaminatos fuisse.[33]) Nam, quae ab Avieno et Prisciano adhibita sunt exemplaria, interpretibus non solum multas lectiones praebuerunt, quae nunc in codd. deterioris notae leguntur, sed etiam plane novas easdemque perversas.[34])

Novarum, quae nondum ex Dionysii codicibus nobis innotuerunt, excutere licet has ex Avieni carmine:

97 *Ἠμαθίη* pro *Δαλματίη*; 211 *ἄσπετοι* pro *Ἀσβύσται*; 259 *ἔνδοθι αἴης* pro *εἰδοθεείης*; 277 *κώνῳ πεύκης* pro *κώνου πλευρῆς*; 487 *ἰονίοιο* (ut Priscianus) pro *ἠελίοιο*; 957 *Χατραμὶς ἠδὲ Μάκαι* (ut Prisc.) pro *Χατραμὶς ἐνναίει*; 959 *Μιναῖοί τε Σαβάθαι* pro *Μινναῖοί τε Σάβαι τε*; 1030 *ἐπ' αὐγὰς* (ut Prisc.) pro *ἐπ' αὐτὰς*; 1145 *Κύμανδρος* pro *Μάγαρσος*.

Priscianus in exemplari suo invenit lectiones, nobis ex codd. nondum notas, praeter eas, quas supra in Avieni lectionibus enumeratis attuli, has:

550 *Ἀλωπεκίη* pro *ἀπειρεσίη*;

1013 *Ἀσιήτιδος* pro *ὀφιήτιδος*.

Jam ex his veterum interpretum lectionibus, quas, quod codicibus Dionysii non praebentur, uno loco componere juvabat, libros vetustos periegesis permultum inter se discrepare atque a vero aberrare elucet; tamen iis non omnis auctoritas videtur abiudicanda esse.

Paraphrases (paraphrasis Anonymi et Necephori Blemmidae *γεωγραφία συνοπτική*) et scholia periegesis, quorum haec paucas tantum voces carminis, illae Dionysii poeticas voces, metri vinculis solutas, in pedestrem orationem mutaverunt, in textu reconstituendo parvae sunt utilitatis, ut nunc sunt publici juris.[35])

---

33) Has corruptelas natas esse ex ludorum magistrorum correctionibus recte Müller et Tych. Mommsen pronuntiaverunt.

34) Omnes collegit Müller l. c.

35) De paraphrasi anonymi et scholiis cf. Müller, praef. p. XXXI. et Ludwich l. c. p. 553 sqq. A. Ludwich, Mülleri editione non praeberi

Quod idem fere cadit in immensos commentarios Eustathii, qui, cum paraphrasin et scholia diligentissime in usum suum adhibuerit, satis praebet delectationis illius aetatis cognoscendae scientiae, sed parum utilitatis ad carminis formam genuinam redintegrandam; quibus ex libris, et paraphrasi et scholiis et Eustathii commentariis, commodum historiae periegesis textus percipi potest, cum, quae lectiones, quales corruptelae, quando increbuerint, disquiritur.

Ordiamur igitur ex pensitanda auctoritate correctorum codicis Mutinensis A_1, A_2, A_3, A_4.

A_1 codicis scriptor permulta in textu reliquit menda, sed illa leviora, velut accentus perverse positos et spiritus pravissime adhibitos, sescentos quasi; (A_1 spiritu leni instruxit ἑλίσσειν in vv. 55, 104, 108, 123, 301, 352, 388, 692, 733, contra spiritu aspero in vv. 71. 125. 434. 497. 600. 630. 747. 841. 979; eandem spirituum inconstantiam praeberi Iliadis codice Veneto A, monet Spitzner ad Il. M. 408.); quorum vitiorum si quod intellexerat, pauca iam ipse eademque recte correxit, adscribens litteram, si quam omiserat et si falsam scripserat, hanc rasura delens atque rectam supponens. In v. 383 tantum videtur ex suo arbitrio — fortasse in relegendo carmine — Αὐσονίων commutasse ex Αὐσονίην, quam vocem omnes praebent codd.

A_2 in textu commutando adhibuit librum, iam contaminatum interpolationibus, quarum unam demonstrare summo iure licet. Is enim non modo litteras, perverse positas, correxit atque plane neglectas addidit (recte ν ephel. in v. 8.) sed etiam verba ab A_1 omissas adiecit (recte in vv. 50 καὶ,

---

genuinum paraphrasis et scholiorum textum, comprobat, afferens duo paraphrasis fragmenta ab ipso excussa: vv. 1—68 et 1053—1187 et scholiorum partem ab initio usque ad v. 67 pertinentem. Ludwich p. 554: „vor der Hand ist freilich, wie die Dinge gegenwärtig liegen, nichts rechts damit anzufangen“ — uno loco paraphrasis praebet lectionem unice a Mutinensi oblatam vv. 43, 44. cf. Ludwich p. 553, not 1.

1053 ἰδέειν) et hos versus in margine apposuit: vv. 90. 118. 577. 578. 1056.

Quorum spurium esse versum 118 luculentissime comprobatum est acrostichorum indagatione, quorum alterius ordo hoc ipso versu, quem ignotum fuisse Avieno et Prisciano apparet, solvitur. Sed ceteri versus, quos apposuit A_2, quamquam suspicione mota eorum vitia quasi captabam, non interpolatoris sed Periegetae ipsius sunt, quod non praebent corruptelae suspicionem at in utriusque interpretis exemplaribus legebantur.

Cur Müller in editione sua cancellis incluserit vv. 87 (ex voce ἧτ' εἰς) usque ad v. 90, quem apposuit A_2, non rectam video causam; forsitan, quod Anonymus, qui conscripsit geographiam compendiariam (cf. Müller, Geogr. graec. min. tom. II. p. 494 sqq.) in capite 49, quod cum hoc Periegetae loco consentit, non commemoraverit Gortynam et Phaestum urbes et κριοῦ μέτωπον promuntorium? — Sane in his urbibus et promuntorio componendis nobis ignorantia mira occurrit, quam angustiis tabulae, quam ante oculos habuisset Dionysius, excusari Bernhardy vult; sed nihil aliud his versibus egisse Periegetam, opinor, quam ut, occasione oblata, enumeraret celeberrimas Cretae urbes; minori enim ei curae fuisse accuratam diligentiam locorum situs definiendi quam aptam et elegantem versuum coniunctionem, iam Goethe l. c. p. 12 exposuit, adiciens: „itaque et praepositionum illius est usus multo liberior (cf. ἐπὶ τοῖσι v. 375; 1140) et vocabulorum ἔνθα, ἧχι, κεῖθι, (cf. C. Müller ad v. 311) quo fit, ut, quae longe distant, haud raro arcte coniungantur.[36])"

A_3 corrector, accuratissime omnium in textu commu-

---

36) Haud scio an in v. 612 A_2 interpolatoris vestigia cognoscere liceat, in rasura scribentis ἐφέπει pro ἐπέχει, quam vocem genuina forte praebuit lectio.

tando versatus, omissas et litteras et voces adiecit et false scriptas correxit, plerumque recte, saepius perverse, ut etiam A_3 ante oculos habuisse deteriorem librum negari nequeat. Litteras perverse apposuit 380 (*πα^{ρ}ραλίης*; in cod. A. inconstanter scribitur haec vox: 799, 827 duplici, 253, 729 uno *ρ*) 566 (*Βρετα^{ν}νίδες* in cod. A 284, 569 uno *ν* scriptum) 969 *ἄνδρασιν* (*ν* plane supervacaneum) 457 *βαῦσος* (perverse pro *Βοῦσος*, Avien. et Prisc. praebent „Ebusus") 1074 (*τε ^{ρ}ρείων*); vocum, quas apposuit A_3, ex deteriore codice manaverunt hae perversae: 612 *ἐφέπει*, quod correxit A_2 ex *ἐπέχει*, A_3 in margine adscripsit; 629 *ἀπείριτος* pro *ἔσω ῥόον* (A_1)[37]); 1082 *περὶ* pro *παρὰ*.

Rectissimarum correctionum imprimis commemorandae sunt hae:

234. *ἐπειρη* (*θη* supra script.) *σαν* (*θ* deletum ab A_3): *ἐπειρήθησαν* ex *ἐπειρήσανθ'*, quam correctionem, hiatum expellentem, iam proposuerat G. Hermann, Orph. p. 737.

1026. *πλαζομένη κατὰ φῶτας* (A_1 *κατὰ γαῖαν*) *ὁμώνυμον ἵκετο γαῖαν*; priorem vocem *γαῖαν* A_1 scripserat, memoria deceptus.

In versu 846 A_3 supra ō vocis *μέλονται* scripsit *ω*, ut legatur *μέλωνται*:

„*ἀλλὰ τὰ μὲν Λυδοῖσι μετ' ἀνθρώποισι μέλωνται*"

quo in versu constructio verbi *μέλεσθαι* satis est insolens, ut Bernhardy coniecerit *μεγ'* pro *μετ'* . . equidem ad partes Tychonis Mommseni (l. c. p. 19) accedens Bernhardyanam reicio coniecturam satis vilem, et secundum codices H ζ

---

37) Ad v. 629. A_1 recte *ἔσω ῥόον*, quem secutus est Müller; ceterum v. 629 fictus est ad exemplum Iliadis *Φ*. 258: *ὕδατι ῥόον ἡγεμονεύῃ* . . (cf. etiam Ap. Rh. II. 421. *ἐπεὶ δαίμων ἕτερον πλόον ἡγεμονεύσει*). In Mülleri editione, quamquam recta recepta est lectio, perverse traditur versus latine: non enim „interius dominatur mare" sed „aestum ducit interius" scribendum est.

retineo *πέλονται*, quam versus clausulam etiam habes apud Ap. Rhod. I. 679.

ἅτε πολλὰ μετ' ἀνθρώποισι πέλονται.

Diligentissime autem A3, ut metrum solutum vocabulis false positis aut omnino neglectis repararet, dedit operam (velut recte litteram adiciens, ut longam syllabam in arsi haberet: vv. 87, 340 (*πουλυ* pro *πολυ*) 394 (*ν* adiciens) 684 (*πνοιαι* pro *πνοαὶ*) 773 (*Ἀμαζονίδεσσιν*) 839 (*ὀνόσσεαι*) 897 (*ὑπεὶρ* pro *ὑπὲρ*) 901 (*ἠωίου*) 949 (*πολλὸν*) 1161 (*ὅππστε*); litteram supervacaneam delens (1179 *σ* in *ἐφράσσατο*), vocabulum adiciens 541 (*καὶ*).

Saepius etiam signis appositis rectum locum in versu tribuit vocibus, velut vv. 449. 812. 889.

A4 perpaucis tantum et levibus correctionibus instruxit codicem Mutinensem (145 spiritum lenem, 263 *ἐν*, 349 in voce *αὐτόθι ι* adiecit recte); quod minime lugendum esse censeo: nam, quamquam saepius correctores recte vitia scriptoris incuria commissa summoverunt, tamen plurima imprimis accentuum et spirituum menda in codice restant, et per emendatores ipsos in commutandis lectionibus ex deterioris generis libris voces irrepserunt, a genuina carminis lectione plane aberrantes.

Minima igitur auctoritas his codicis A correctoribus est tribuenda.[38])

---

38) Fieri non potuit, ut, quod mihi proposui, ex magno apparatu critico, quem praebet editio Mülleriana, quas in familias distribuendi sint codices Dionysii atque unde unusquisque pendeat, componerem: nam, postquam A. Ludwichii collatione cod. A. tanta lectionum variarum vis, discrepantium a Mülleri editione, prolata est, suspicio mihi mota est, etiam aliorum codicum lectiones non recte legi, praesertim cum saepius in Mülleri lectionum enumeratione luculenta menda occurrant, quae, utrum editori, parum diligenter conscribenti apparatum criticum, an typographico errori tribui debeant, dificillimum est dicere: velut ad v. 324:

„*προβολῇσι* b c e f g h o q r t x ζ . .
πλευρῇσι A C D H K Q X Y ζ et mg. 0“

In genuinis periegesis lectionibus retinendis et revocandis summam obtineant necesse est auctoritatem scriptores, quos Periegetae scientiam et verba ipsa in suum usum convertisse, comprobari potest; quod quamvis absurde dictum esse videatur, quia Periegeta ipse ex diversissimis fontibus geographiae scientiam arripit, comprehendi et inde intellegi potest, quod a ludorum magistris non solum periegesis aptissimus ad pueros instituendos liber habebatur, sed etiam, qua est gratia et volubilitate versus, scriptorum manibus satis terebatur.[39])

Periegetae vestigia nobis occurrere contendo in libello, qui inscribitur *Ἀνωνύμου ὑποτύπωσις γεωγραφίας ἐν ἐπιτομῇ*, anonymi geographiae expositio compendiaria.[40]) Cuius anonymi opus, ex variis fontibus concinnatum, perpauca tantum sibi propria praebere, Müller (l. c. praef. p. XLI.) ostendit, atque Goethe, (l. c. p. 15) cum compluria capita anonymi cum Dionysii versibus consentire, intellexisset, utrumque ex eodem auctore hausisse, affirmat. Equidem anonymum non solum eodem auctore usum esse ac Dionysium contendo, sed etiam compluribus locis adhibuisse Periegetae

---

ad v. 629. Ml. „*ἐσώροος* B C o, *ἀπείριτος* C H Q N Y ζ . . 631 „*εἰς ἅλα*] sic **E E** b ζ mg. 0. 859 „*Τερμησσος* B c m o ζ . . *Τερμισσος* **B** Q"

Sed plane elucet inter codicis A asseclas esse codd. H. (No. 2772, saecl. XIV. bombycinum, olim Guarini Veronensis) et ζ Barberinae bibl. cod. No. 43, olim 378, quorum scriptores in usum adhibuerunt cod. A iam a correctore A_2 commutatum. cf. ad vv. 27. 29. 39. 213. 216. 280. 421. 444. 452. 450. 466.

39) Quod imprimis affirmatur immensa copia codicum periegesis; ceterum cf. Tycho Mommsen l. c. p. 60. — Atque etiam Prisciani interpretationem rursus expressam habes ab Ermenrico quodam in Mon. Germ. hist. ed. Pertz 1829. II, titulo praeditam: „Ermenrici Coenobitae Augiensis tentamen vitae S. Galli adornandae in prosa et metro." —

40) Apud Müllerum, Geogr. gr. min. tom. II anonymi geographiae expositio compendiaria, continens capita XIV, titulis instructa. Praeterea Müller paragraphos numerat LIII opusculi.

voces poeticas, quod, si utriusque operis partes cum Strabone contuleris, facile cognoscas.

Strabo (ed. Kramer, vol. I, p. 188)

c. 124: *ἔστι δὲ διθάλασσος τρόπον τινὰ οὗτος (πόντος) . . κατὰ μέσον γὰρ ἄκραι δύο προπίπτουσιν.*

c. 125. *εἰκάζουσι δέ τινες τὸ σχῆμα τῆς περιμέτρου ταύτης ἐντεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ, τὴν μὲν νευρὰν ἐξομοιοῦντες τοῖς δεξιοῖς καλουμένοις μέρεσι τοῦ Πόντου . . τὴν δὲ λοιπὴν τῷ κέρατι τοῦ τόξου δίττην ἔχοντι τὴν ἐπιστροφήν.*

Anonymus c. 51. (Müller tom. II p. 509) *ἐντεῦθεν δὲ ἤδη ὁ πόντος αὐτὸς ἀνοίγεται διθάλασσος ὢν τρόπῳ τινί· κατὰ μέσον γὰρ αὐτοῦ δύο ἀνέχουσιν ἄκραι, ἀλλήλων ἀπέχουσαι δισχιλίους που καὶ φ´σταδίους, ὧν ἡ μὲν ἀπὸ τῆς Ἀσίας ἐπ' ἄρκτους ἀνατείνουσα καλεῖται Κάραμβις, ἡ δὲ ἀπὸ τῆς Εὐρώπης πρὸς νότον Κριοῦ μέτωπον προσαγορεύεται.*

53. *ἡ δὲ περίμετρος τοῦ σύμπαντος πόντου δισμύριά ἐστι καὶ ε ἐοικυῖα Σκυθικῷ τόξῳ. Τὰ μὲν γὰρ δεξιὰ τῇ νευρᾷ παρομοιοῦσι, πάντοθεν γὰρ ἔστι ἰθυτενῆ πλὴν τῆς ἀνεχούσης Καράμβεως. τὸ δὲ λοιπὸν πᾶν τῷ κέρατι τοῦ τόξου διττὴν ἔχοντι τὴν ἐπιστροφὴν, ὥστε δύο κόλπους συνίστασθαι, ὧν ὁ ἑσπέριος κατὰ πολὺ περιφερέστερος ὑπάρχει τοῦ ἑωθινωτέρου. Τούτου δὲ πρὸς ἄρκτον ἡ Μαιῶτις ὑπέρκειται λίμνη . .*

D. P. v. 146. sqq.:

ἐκ δὲ τοῦ οἰγόμενος παραπέπταται ἄνδρασι Πόντος . .

v. 150 sqq.

μέσσαι δ' ἔνθα καὶ ἔνθα δύω ἀνέχουσι κολῶναι,
ἡ μὲν ὑπερνοτίη, τήν τε κλείουσι Κάραμβιν,
ἡ δὲ βορειοτέρη γαίης ὑπὲρ Εὐρωπείης,
τήν ῥα περικτίονες Κριοῦ καλέουσι μέτωπον . .

v. 156. sqq.

ἐκ τοῦδ' ἂν καὶ πόντον ἴδοις διθάλασσον ἐόντα,
τόρνῳ ἐειδόμενον περιηγέος ἅμματι τόξου.
ἀλλ' εἴη νευρῆς σημήια δεξιὰ Πόντου
ἰθὺ διαγραφθέντα· μόνη δέ τοί ἐστι Κάραμβις —

v. 161. sqq.

σῆμα δ' ἔχει κεράων σκαιὸς πόρος, ὅστ' ἐπὶ δισσὴν
εἱλεῖται στροφάλιγγα, βιοῦ κεράεσσιν ἐοικώς . . .

Ex his scriptorum locis compositis facile, quam uterque ex Strabone pendeat, intellegas: cum Periegeta raro tantum Strabonis verba versibus suis intexat, (velut *ἐπὶ δισσὴν . . στροφάλιγγα*, Strabo: *ἐπὶ διττὴν ἐπιστροφὴν — διθάλασσον πόντον* . .) anonymus ad verbum Strabonem sequitur; ubicunque autem vocem Strabonianam neglegit, Periegetae verba ipsa arripit[41]) et sermoni suo pedestri inserit voces poeticas, periegesis versibus desumptas, ut anonymum in conscribenda expositione geographiae compendiaria ante oculos habuisse periegesin, summo iure affirmare liceat.

Ac profecto Anonymi opusculum nobis servavit duas voces, Periegetae proprias: dico *ἀγκέχυται* et *τὸν δὲ μετ' ἐκδέχεται*, quae vox significationem habet „incipiendi."

A praebet in vv. 70. 86. 164. 583 *ἀγκέχυται* pro editorum lectione *ἐγκέχυται* (70. 86. 164) et *ἐκκέχυται* (583); quae varietas etiam in Eustathii locis exstat. *ἀγκέχυται*, quae vox (cf. exempla apud Homerum *Δ* 113 *ἀγκλίνας*, *α* 440 *ἀγκρεμάσασα*, et Callimachum *ἀγκεῖσθαι*) legitur apud Apollonium Rhodium I 1062 in initio versus ut hoc loco (cf. Schol. ad Ap. Rh.: *τὸ δὲ ἀγκέχυται ὁμηρικῶς κατὰ τὴν ἀρχαίαν ἀγωγὴν χυτὴν ἐπὶ γαῖαν ἔχευαν*) magis expeditam reddit sententiam: non enim infunditur sed effunditur aqua supra terram. Atque genuinam esse lectionem *ἀγκέχυται* comprobatur eiusdem anonymi verbis, scribentis p. 49.

---

41) Anonymus Periegetae desumpsit *πόντος ἀνοίγεται* (D. P. *οἰγόμενος παραπέπταται*) . . *δύο ἀνέχουσι ἄκραι* pro Strabonis *προπίπτουσι* (D. P. *δύω ἀνέχουσι κολῶναι* et *ἀνεχούσης Καράμβεως*); quod si recesseris a vocibus anonymi *διθάλασσος ὢν*, ubi fortasse participium *ὢν* apposuit secutus Periegetam (*διθάλασσον ἔοντα*), et *τὰ δεξιὰ* (D. P. *δεξιὰ πόντου*) pro Strabonis voce pedestri *τὰ δεξιὰ μέρη πόντου*, consensum inter Anonymum et Dionysum invenies, conscribentes *ἰθυτενῆ* et *ἰθὺ διαγραφθέντα* . . .

(Ml. tom. II. p. 508) *ὁ Ἀδρίας πολὺς ἀναχεῖται κόλπος ἐπὶ τὰς ἄρκτους*. — Ceterum anonymus in paragrapho 49 plane eundem ordinem marium enumerandorum servat ac Dionysius v. 69. sqq.

Quam ob rem retineo *ἀγκέχυται* vv. 70. 86. 164 — in versu 583

ἦμαθ' ὁμοῦ καὶ νύκτας ἀειφανὲς ἐκκέχυται πῦρ

non habeo justam causam, cur *ἐκκέχυται* vulgatam editorum abiciam; atque haud scio an codicis A *ἀγκέχυται* etiam in hunc versum ex locis, quos supra commemoravi, irrepserit.

V. 74 in A legitur:

τὸν δὲ μετ' ἐκδέχεται Γαλάτης ῥόος

Quamquam spiritus inepte positos in codice A innumerabiles fere esse, iam supra commemoravimus, tamen hoc loco codici Mutinensi parendum est atque hanc lectionem esse retinendam, contra editorum *τὸν δὲ μετεκδέχεται* abiciendam esse, contendo. Res igitur est, utrum facilius feratur forma novata *μετεκδέχεσθαι* an vocabulum *ἐκδέχεται*, significans idem atque *ἄρχεται* (incipit).

In litteris graecis semel tantum nobis verbum compositum occurrit *μετεκδέχεσθαι*: apud Paul. Silent. Ecphr. Eccl. I 236 (*τὴν δὲ μετεκδέχεται ἄντυξ.*), ut hanc formam in versu 74 retinenti dicendum sit, novatam esse a Dionysio; sed cum Dionysii voces, quas novas ipse formaverat, perlustraveris, (cf. M. Schneider l. c. p. 39 sqq.)[42]) eum stricte ad poetas Alexandrinos sese applicantem plane novam nunquam effinxisse, sed, si quid novi formare studuerit, semper ad exemplum aliquod spectasse, perspicias; compositionis autem verbi cum *μετεκ* . ., duobus praepositionibus, praeter Homeri *μετεκβαίνεσκε* exempla vix apud

---

42) Schneiderum fugit, Dionysii vocabulum novum *ἐπιπροβαίνω* fictum esse ad exemplum Apollonii Rhodii III 665 *ἐπιπρομολεῖν*, III 524 *ἐπιπροέχομαι*, IV 1449 *ἐπιπροπίπτω*; et Nicandri Alex. 396 *ἐπιπροπίπτω*.

quemquam eorum poetarum invenias, quos imitatus est Dionysius. Contra significationem incipiendi vocis ἐκδέχεται haud inusitatam esse, comprobatur hisce locis: Herodot. 4. 39 ἡ Περσικὴ καὶ ἀπὸ ταύτης ἐκδεκομένη Ἀσσυρίη Herodot. 4, 99 ἡ Σκυθικὴ ἐκδέκεται. Sed summum est, quod anonymus, quem inspexisse periegesin comprobasse mihi videor, hac ipsa significatione vocis ἐκδέχεται utitur saepius:

§ 49. εἶτα κατὰ μὲν τὴν ἀρχὴν τῆς νῦν Ἰταλίας Λιγυστικὸν ἐκδέχεται πέλαγος.

§ 50. μετὰ δὲ τὸ Σικελικὸν πέλαγος ἐκδέχεται τὸ Κρητικόν. (qui locus mirum quantum consentit cum Dionysii v. 109:

ἐκ δε ῥόων Σικελῶν Κρήτης ἀναπέπταται οἶδμα.)

Haec igitur vox, quam Periegetam, ut suavem narrandi et enumerandi varietatem efficeret, loco vocabulorum ἀνοιγόμενος παραπέπταται, ὠρύεται, aliarum poetice adhibuisse, verisimile est, anonymo plane in significationem geographicam abiisse videtur.

Hoc loco etiam alterius scriptoris mentionen facere mihi liceat, cuius in reliquiis verba, e periegesi detracta, aut vocabula, ad Dionysii exemplum adhibita, quamvis raro exstent haec vestigia, perspicias, Metrodori, quem conscripsisse epigrammata Constantino imperatore verisimillimum est; cf. Metrodori epigrammata apud Jacobsium, Anthol. Palat. Tom II. p. 579 (XIV, 116 sqq.).

Quam ad sententiam, ut me applicem, praecipue ea re commotus sum, quod Metrodorus, ubicunque epigrammate tractat res geographicas, affert vocabula notionis geographicae, propria Dionysio: ac profecto Metrodoro, aenigma 121 (cf. Jacobs), quo via Gadibus Romam proficiscenti describitur addita itinerum mensura, conscribenti, Dionysii harum regionum descriptionem poeticam satis aptum fuisse exemplum pingendae viae, nemo neget. E periegesi desumpti esse videntur hi loci aenigmatum:

aenigm. 121. Φώκιον οὖδας = D. v. 423 Ἀττικὸν οὖδας
D. v. 804 Βυζάντιον οὖδας
129, 1 πλατὺν πόρον = D. 131[43]) Αἰγαίου πόντοιο πλατὺν πόρον.
129, 2 τέμνων νηΐ = D. 588 νηΐ τάμῃς.
133, 5 γόσσον ὕδωρ ἀπερεύγεται = D. 122. 384. 567. 693. 981.
139, ἑσπερίην ἅλα = D. 45. 348 in eodem versus pede.

Praeterea Metrodori vocem Ταύρη χθὼν (121) fluxisse ex Dionysii versu 287:

Ἤπειρον κείνην ἰκέλην ἐνέπουσι βοείῃ[44])

verisimile est atque etiam his ipsis utriusque poetae locis commemorata invenis ἤλεκτρα Ἠριδάνοιο.

Quos locos, periegesi et epigrammatibus communes, cum perlustraveris, Metrodorum, qui aliis locis sane se praestat poetam de suo sumentem, si non exemplar periegesis ante oculos in carminibus componendis habuerit, at certe ex memoria attulisse verba Dionysii, concedendum est.

Qua ex re fructus percipi possunt Dionysii versui 642, qui a Müllero editus est

Ταῦρον δέ ἑ κικλήσκουσιν,
οὕνεκα ταυροφανές τε καὶ ὀξυκάρηνον ὁδεύει.

Contra in cod. A. legitur ὀρθόκραιρον;[45]) hacce voce „devexi Tauri anfractus, acumina bovini tergoris aemulantes“[46]) distinctius expressi mihi videntur esse quam

---

43) In hoc versu praeponendum esse πόρον lectioni codicis Mutin. ῥόον, quam rectam habebat Schraderus ad Avienum 188: nam si plane ab hoc Metrodori loco et a Paraphrasta (βλέπε καὶ τὸν τοῦ Αἰγαίου πελάγους πόρον) recesseris, lectionem πόρον deposcit vox ἕτερος πόρος versus 134.

44) Strabo figuram Iberiae bovis torgori comparavit: cf. Strabo p. 84—127, 137.

45) Müller in commentario critico ad v. 642 false annotat: „ὀρθοκάρηνον A. κ. Eustath . .“ nam in Eustathio legitur „τὸ δὲ ὀξυκάρηνος γράφεται καὶ ὀρθόκραιρος καὶ ἔστι προσφυὲς τῇ κλήσει τοῦ Ταύρου. (cf. Mülleri ipsius edit. comm. Eustath. ad h. v.) Hoc loco annotandum est, ab Eustathio lectionem praeberi unice servatam a cod. A.

46) cf. Bernhardy, annot. ad h. v.

Mülleri lectione ὀξυκάρηνον; quod epitheton, ut est insolens ad montem altum ornandum et describendum, ita aptissimum.

Ab Homero dicuntur boves hoc ipso epitheto: velut Θ 231, Σ 573, μ 348: βοῶν ὀρθοκραιράων; bis etiam τροπικῶς hoc cognomine vocantur naves: Σ 3, Τ 344, νεῶν ὀρθοκραιράων; ut igitur Homero naves dicere ὀρθόκραιραι, ita Dionysio hoc bovum cognomine describere Tauri saltus et Tauri nomen explicare licuit. — Scripsisse autem Periegetam ὀρθόκραιρον mihi videtur comprobari imprimis versu Metrodori (Anthol. Palat. XIV. 121, 5), qui, cum memoria teneret hoc epitheton, a Periegeta Tauro inditum, eodem vocabulo ornavit Pyrenaeos saltus: Πυρήνην δέ τοι ἔνθεν ἐπ᾽ ὀρθόκραιρον ἰόντι.[47])

In v. 39 retineo lectionem

. . . ἔνθα δὲ [48])

πολλὸς ἀοικήτου χθονὸς ἀγκών, quam praeter Mutinensem habent, ut annotat Müller, in margine Y e u ζ atque etiam scholiasta et Eustathius in manuscriptis invenerunt.[49]) Müller cum Bernhardyo aliis huic lectioni praetulit αὐλών, quam vocem, quamquam „utrumque vocabulum usus poetarum diuturnus quandam in cognationem contraxerit"[50]) commendandam esse, Bernhardy putat, quod „ἀγκών ad flexum imprimis et extremitatem pertineat",[50]) at hoc loco, „quo nullus existat usus angustiae" proferri oporteat αὐλών, cui quod πολλὸς adiciatur de nimia longitudine dictum."[50])

Quod tenue inter hasce voces discrimen, quamvis luculenter eluceat et alioqui intercedat, tamen ad hunc

---

47) Fortasse quispiam dicat, Metrodoro Ταύρη χθὼν revocasse in memoriam Ταύρου epitheton.

48) Lectio ἔνθα τε servata est ab A et paucis libris deterioris notae; cuius varietatis non idoneam invenio causam, quamquam v. 64 in compluribus codicibus etiam legitur ἔνθα τε.

49) Schol. ad vers 38: γράφεται καὶ ἀγκών — Eust: ὅτι πρὸς νότον πολὺς ἀοικήτου χθονὸς αὐλὼν ἢ ἀγκὼν ἐκτέταται.

50) Bernhard. annot. ad h. v.

versum, quo nihil aliud describi nisi magnum terrae spatium intellegas, referri non potest. — At parendum optimo codici, praebenti *ἀγκών*, imprimis quod, Periegetam Apollonii Rhodii, cuius vestigiis presse insistit, [51]) versum, huic simillimum memoria tenuisse, suspicari licet:

A. Rh. II. 369. sq.

κεῖθεν δὲ προτέρωσε μέγας καὶ ὑπείροχος ἀγκών
ἐξανέχει γαίης.

In v. 47 Müller sprevit Mutinensis lectionem, etiam a scholiasta inspectam

δεύτερος αὖτ' ὀλίγος μὲν ἀτὰρ προφερέστατος ἄλλων

secutus C N O *Y* codices, offerentes pro nominativis (*δεύτερος-ὀλίγος-προφερέστατος*) accusativos. In tali lectionis varietate optimo libro obtemperemus necesse est, praesertim cum verisimile sit, inseruisse accusativos versui scribam, ut concinant inter se vv. 44 et 45 cum v. 47; talem autem grammaticae constructionis consensum accuratum poetis minime esse proprium neque a Periegeta efflagitari posse, contra corruptelae, a magistro insertae, suspicionem movere, nemo nesciat.[52])

In v. 257 propono scribendum secundum A (et magnum numerum codicum quos optimos aliis locis praedicat Müller: B E G H L M N Q ζ)

οὐκ' ἂν ἐκείνου
νηὸν ἐν ἀνθρώποισι θεώτερον ἄλλον ἴδοιο

quod idem in textum receperant Passow et Matthiae; primum Bernhardyo displicuit haec lectio, quae quinque aliis periegesis locis ne minimam quidem movit eius suspicionem aut quidquam offensionis praebuit, quod „*ἴδηαι*

---

51) cf. Schneideri de Dionysii diss. p. 20. sqq.

52) Mutin. lectio etiam Bernhardyo non displicuit; cf. eius annot. ad h. v. et ad v. 6.

consuetudini sermonis epici (cf. Il. A. 262) sua natura convenit ac multo magis corruptioni fuit obnoxium."[53])

Quem secutus est Müller; omnium igitur, quos supra commemoravi codicum auctoritatem Müller postposuit Bernhardyanae; aliam enim Mülleri lectionis non video causam; an ἴδοιο „ex consuetudine sermonis epici" adhiberi non posse, censeat?

False eum egisse, opinor, et retinendam ἴδοιο vocem, suffultam hisce Periegetae ipsius locis:

371 ἔνθα κεν αἰπὺν ἴδοιο Λακινιάδος δόμον Ἥρης
670 καὶ δέ κεν . . . . ἵππους . . ἴδοιο
813 δ'ἂν ἴδοιο . . . τὴν ἑτέρην
826 βορειοτέρην ἐςίδοιο
990 . . . . . οὐκ ἂν ἐκεῖνον
ἐν πᾶσιν ποτάμοισι θοώτερον ἄλλον ἴδοιο

quorum, quem ultimum apposui, versus satis conspicuo modo cum hoc v. 257 consentit.

Versui 283 praebet A lectionem μῆκος ἐπ' ἠπείροιο τετραμένον ἧχι βορείου cum C D Q Y aliis „ut videtur plurimis" (Ml.). Attamen Müller Bernhardyi exemplum secutus, recepit in textum ἠπείρου, quod atticam correptionem in media voce (τετραμένον primam syllabam brevem habet in compositione ἠπείροιο τετραμένον) admittere dubitat. Equidem Maximiliani Schneideri[54]) ad partes accedo, con-

---

53) Bernhardyanam lectionem etiam recepit Witting in dissert., quae inscribitur „de usu conjunctivi et optativi in enuntiationibus secundariis apud epicos Graecos Halae 1867": „semel conjunctivus legitur v. 257, pro quo optativum ἴδοιο habes 371. 670." — Huius versus exemplum non solum, ut Bernh. annotat, est Call. hym. Apoll. 93. οὐ κείνου χορὸν εἶδε θεώτερον ἄλλον Ἀπόλλων sed etiam Call. hym. Dian. 249: τοῦ δ'οὔτι θεώτερον ὄψεται ἠώς.

54) Schneider, l. c. p. 9. affert conferendos hos Quinti Smyrnaei locos: IX, 501, X, 488, quibus τέτραμ . . prima syllaba brevi positum est. — Correptionis atticae in voce ἄχρι D. P. 118, ratio haberi non potest, quod v. 118 spurius est. A. Ludwich Mülleri

tendentis, lectionem, optimis et plurimis codicibus suppeditatam, immerito a Müllero contemptam esse, cum, Dionysium ipsum ab attica correptione in mediis vocibus se non abstinuisse comprobetur versu 1173: *ἐκληρώσαντο* (⏑ — — — ⏑).

Versus 387 initium in codice A legitur sic:

Βουλιμαίων τ᾿ ἀκτάς·

Mülleri editio offert lectionem *Βουλίνων τ᾿ ἀκταῖς·* Quarum vocem *Βουλιμαίων*, quamquam in plurimis et optimis codicibus scripta inveniatur, (A B C D G H M N O ζ d f) mendosam esse, inde apparet, quod metro efflagitatur hoc loco vocabulum, efficiens pedem molossum (— — —) aut choriambum (— ⏑⏑ —). Quam ob rem Müller *Βουλίνων*, (— — —) priores editores, strictius ad codices accedentes, *Βουλιμέων* textui inseruerunt; quam lectionem retinendam esse censeo, nam haec ipsa vox antiquissimis, quae judicare licet, periegesis exemplaribus suppeditabatur: cf. Priscian. 380: „Bulimeon"; atque hanc causam esse graviorem, opinor, argumento, quo Müller suam studet comprobare lectionem.[55])

In hoc versu etiam Mülleri *τ᾿ ἀκταῖς* reiciendum, codicis Mutinensis *τ᾿ ἀκτάς* reponendum esse, censeo. Ut distinctius

---

retinet lectionem *ἠπείρου*, deterioribus codicibus suppedidatam atque proponit scribendum in versu 1173 pro *ἐκληρώσαντο . . . ἐμοιρήσαντο*, ut in periegesi exstent duae tantum correptiones atticae, ab usu solemni recedentes: in v. 484 (*χαλειψαμένης Ἀφροδίτης*) v. 509 (*Διωναίης Ἀφροδίτης*). cf. Mus. Rhen. XLI. (1886) p. 303. „Zur Periegesis des Dionysios."

55) Müller hanc lectionem, uno tantum minimae auctoritatis codice (h) datam, sibi desumpsit ex Scylace § 22 et Anonymi periegesi (Scymno) v. 408, quorum huius regionis descriptionem cum Dionysio consentire, addit; ceterum e verbis Eustathii „*ἐκεῖ δέ φησι καὶ οἱ Βουλιμεῖς, οὓς τινες διὰ τοῦ ν γράφουσι Βουλινεῖς ἢ Βουλίνους*" coniciendum esse, Eustathium lectionem repperisse *Βουλίνων*, Müllero non concedo — quis enim sciat, numme innotuerint Eustathio, omnia scriptorum volumina perscrutanti, hi Scylacis aut Scymni loci?

haec Dionysii descriptio intellegatur, v. 384 sqq. adscribo, obsecutus codici A.:

κεῖθεν δ' εἰς αὐγὰς στρεπτὴ περισύρεται ἅλμη,
θῖνας ὑποξύουσα Λιβυρνίδας ἀμφί τ' ἐρυμνήν
Ὑλλήων χθόνα πᾶσαν, ὅση παρακέκλιται ἰσθμῷ,
Βουλιμέων τ' ἀκτάς·

Quod si Mülleri, cuius in partes discessit M. Schneider l. c. p. 30, lectionem commendes *ἀκταῖς*, affirmes Periegetam voluisse exprimere, „Hyllensium regionem adiacere isthmo, peninsulam efficienti, atque Bulinorum litori" (id quod dicit Ml. ad h. v.) — Sed quomodo regio aliquis adiacere potest *ἀκταῖς*-litori? Nonne hacce voce dicitur ora maritima? *ἀκτή* enim litus aut saxa litoris salebrosa, rarius fluvii ripam deruptam, semel tantum rupem arduam, in media terra sitam, significat (Soph. Antig. 1133: *Νυσαίων ὀρέων κισσήρεις ὄχθαι χλωρά τ' ἀκτὰ πολυστάφυλος* —); sed huius insolentis vocis *ἀκτή* significationis hoc loco rationem non esse habendam, comprobatur ceteris Dionysii locis, quibus, utcunque adhibet *ἀκτή*, spectat ad litus, oram maritimam — (cf. 243. 523. 565.). Quam ob rem huic loco vindico lectionem *Βουλιμέων τ' ακτάς*, quam etiam legisse videtur Priscianus: cf. v. 378 sqq.:

Flexilis hinc pontus convertens vergit ad ortus,
Atque Liburnorum terras, Hyllesque feroces,
Bulimeon pariter praestringens litora currit . . .

Huic periegesis loco Bernhardy, quod satis, certe plus Müllero, perspexit offensionis in voce *τ' ἀκταῖς*, interpunctione mutata, mederi studuit: in editione Bernhardyana legitur: *Βουλιμέων τ' . ἀκταῖς* . . .[56])

---

56) In paraphrasi habes: *ὁπόση τῷ ἰσθμῷ πλησίον ἐπίκειται καὶ ταῖς ἀκταῖς τῶν Βουλιμέων.* — Annotandum esse hic censeo, hanc ipsam carminis partem a Prisciano religiosius quam ceteras expressas esse v. 378 sqq.

In versu 449 Müller, priorum editorum vestigiis insistens, edidit lectione unius codicis C, quem, quamquam optimum declarat, tamen saepius neglegit, adiutus *ἄνδρασι ναίονται* (*νῆσοι*) contra A et omnia fere periegesis manuscripta, praebentia *ἄνδρασι φαίνονται*, quod „ab invenustis, ut videtur, correctoribus excogitatum, quibus aliquid offensionis simplex vulgatae ingenuitas afferret", Bernhardy opinatur. Sane vulgate ab editoribus acceptum invenimus *ναίονται* — sed magno numero codicum comprobatur, lectionem vulgatam recte habendam esse *φαίνονται*, cui voci eandem occupo simplicitatem quam Bernhardy *ναίονται*. Ac cum utraque vox Periegetae satis sit propria[57]) et, qua sunt mutationis facilitate *ναίονται* et *φαίνονται*, a scribis facile permutari possit, recipiamus optimorum et vetustissimorum codicum lectionem, cui plus auctoritatis tribuo, quam venustiori alicui, deteriore codice oblatae. Ceterum editores fugisse videtur, etiam Priscianum in exemplari suo legisse *φαίνονται*:

Prisc. 459. nunc magno nobis sunt insulae ore canendae,
quas homines toto dispersas aequore cernunt.

Versus 520 Leuei acrostichorum indagatione lectio, quae Mutinensi solo suppeditatur, comprobata et stabilita est: *ἤτοι δ Εὐρώπης* . . Mülleri enim horum vocabulorum positione, quam habent ceteri codices, *Εὐρώπης δ' ἤτοι*, arostichon *θεὸς Ἑρμῆς ἐπὶ Ἀδριανοῦ* dissolvitur, id quod perferre potuit Unger, qui vir doctissimus, dificillimum

---

57) V. 264 (*ἄστυ νεναασμένον*) 370 (*πτολίεθρον ναιόμενον*) 617 (*νῆσοι ναιόμεναι ὑπ' ἀνδρῶν*, huic loco simillimus) 913 (*ναιομένην Σιδῶνα*); *ἄνδρασι φαίνεται* sive *φαείνεται ἀνθρώποισι* vox, quam Dionysius etiam apud Aratum v. 135 legit, ipse adhibet vv. 36. 96. 451. 493 (*νῆσοι φαίνοιντο* ut hoc loco); ut Aratus *ἄστρα* dicit *ἀνθρώποις φαινόμενα* ita D. *νήσους*, quas semel (530) (*Σπόραδες*) sideribus comparat, cum eas vocat nitentes (*περιπαμφανόωσιν* Ml., *περιπαμφαίνουσιν* A) „quod cum astrorum frequentia contenduntur" (Bernhardy.)

Periegetae fuisse, inserere carmini haec ludibria, opinetur (cf. supra). Qua de re imprimis cf. A. Ludwich, Aristarch. II. p. 588. Novissimum periegesis editorem, cui primo haec varietas innotuit, praecipue fugit, *ἤτοι* particulam, ut ab Homero aliis epicis, ita a Dionysio eodem semper enuntiationis loco adhibitam esse: ubique in initio ponitur a scriptoribus aut post pronomina demonstrativa aut relativa,[58]) id quod Lehrs dicit in quaestionibus epicis p. 70: „sin autem sint alia quaedam, quae et ipsa certam orationis sedem requirunt, ut *ἤτοι* particula non nisi initio posita (vide de coni. p. 486. 31 Apoll. Dyscoli) . . .“

In v. 524 legitur in A

Κυρβάντιον ἄστυ

quod etiam praebent B E F M b e g o item C, princeps Mülleri, qui ipse, fieri posse, ut *Κυρβάντιον* „genuina sit lectio“, profitetur. Attamen ab editorum lectione vulgata *Κορυβάντιον* discedere gravatus, codicem neglegit, quem optimum praedicat, dico C. — Equidem retineo hanc optimorum manuscriptorum lectionem *Κυρβάντιον*, non solum quod Periegeta hanc vocem apud Strabonem C. 331 invenit atque in periegesis vetustis libris eam scholiasta et Eustathius[59]) legerunt, sed praecipue quod eadem vocis *Κορυβάντιον* in *Κυρβάντιον* contractio in Callim. hym. in Jov. 46 (*Κυρβάντων ἑταραι*) exstat; huius enim poetae loco, quo stili poetici magistro Dyonysius stricte utatur, (cf. Schneider) eum desumpsisse hanc vocem contractam pro *Κορυβάντιον*, quod magis pedestri sermoni conveniat, verisimile est.

---

58) cf. Iliad. *Β* 813. *Δ* 237. Μ 141, *Σ* 18, 378. u. 86. D. P. 148, 281, 663, 973, 978.

59) Schol. ad v. „*Κυρβάντιον δὲ ἐκλήθη ἄστυ ἀπὸ τοῦ ἐκεῖσε τῶν Κορυβάντων τελεῖσθαι μυστήριον* . .“ Eustath. ad v. „*Τὴν δὲ Σάμον, τὴν Θρακικὴν Κυρβάντιον . . ἤτοι Κορυβάντιον ἄστυ λέγει* (cod. *Ε.* *ἤτοι Κυρβάντων*).“

Versus 555 lectio, qualis ab A codice praebetur, nemini editorum adhuc plane nota videtur fuisse: legitur enim in A:

ἄλλας δ' ὠκεάνοιο πέρι ῥόος ἐστεφάνωται

(Müllero annotante „*ἄλλας . . περίρροον* A")

Müller edidit hunc versum ut cett. editt.:

ἄλλαι δ' ὠκεάνοιο παρὰ ῥόον ἐστεφάνωνται.

Utravis lectio sanam et expeditam reddit sententiam: A (si recesseris ab accentus mendo in *περὶ* praepositione, *πέρι* scribenda): „oceani gurges circa ceteras (sc. insulas) circumpositus est (in coronae modum)", Mülleri lectio: „ceterae (sc. insulae) ad oceani fluctum circumpositae sunt", nam *στεφανοῦν* non modo significat „aliquid corona circumdare" sed etiam „aliquid coronae instar circumponere".[60])

Sed probabilior mihi videtur esse lectio Mutinensis, cuius accurata exempla, quin etiam semel eadem fere verba, exstant apud Homerum: *E* 739:

αἰγίδα, ἣν πέρι μὲν πάντῃ φόβος ἐστεφάνωται

κ. 195: *περὶ νῆσον πόντος ἀπείριτος ἐστεφάνωται* —

Eandem etiam constructionem offert Apoll. Rhod. III. 1214:

. . πέριξ δέ μιν ἐστεφάνωντο

σμερδαλέοι δρυΐνοισι μετὰ πτόρθοισι δράκοντες.[61])

---

60) cf. Matthiae „Griech. Grammatik", § 421. annot. 3. et „Homeri Ilias rec. et brevi annot. inst. Fr. Spitznerus Saxo," vol. I. sect. IV. excursus XXVIII. ad Il. *Σ.* 485: de vi et usu verbi *στεφανοῦσθαι.*

61) Significationis vocis *ἐστεφάνωται* in Dionysii versu 4 . . *ἐν γὰρ ἐκείνῳ πᾶσα χθὼν ἅτε νῆσος ἀπείριτος ἐστεφάνωται* nullam habeo analogiam: hoc enim loco *ἐστεφάνωται* transferri debet „sita est terra", ut poeta plane genuinam vocis significationem neglexisse videatur, dicens, „in oceano coronata est" — Ceterum huius versus exemplum legitur in Meineke Analecta Alex. p. 155. Euphorionis: *ὠκεανὸς τῷ πᾶσα περίρρυτος ἐνδέδεται χθὼν . .*

Versus 594 lectionem vulgatam, in qua etiam Müller acquievit,

οὐρανίῃσιν ἀειρόμενος στροφάδεσσι

nullam adhuc movisse offensionem, mirum esse mihi videtur: nam vocabulum *στροφάς* nusquam significationem ostendit[62]) substantivi, sed, ubicunque legitur, in adiectivi modum adhibetur velut Soph. Trach. 131 (*ἄρκτου στροφάδες κέλευθοι*); Arat. 1032 (*γέρανοι στροφάδες*); Orph. arg. 680 (*στροφάδεσσιν ἀέλλαις*).

Propterea Dionysii, qui, qua est verecundia et moderatione in vocibus et vocabulorum significatione novandis, semper ad pristinorum poetarum exemplar fingit et adhibet verba, genuinam lectionem praeberi contendo codice A:

οὐρανίῃσιν ἀειρόμενος στροφάλιγξιν,

quae vox, astronomorum sermone trita,[63]) etiam legitur

Orph. Apospasmat. VII, 26 (G. Hermann):
οὐρανίαις στροφάλιγξιν περίδρομον αἰὲν ἑλίσσων et

Orph. hymn. X. 22
ἀενάῳ στροφάλιγγι θοὸν ῥύμα δινεύουσα (*φύσις* sic describitur.)

Versum 631 Müller edidit a pristinis editoribus recedens

κόλπους κυμαίνοντας ἐρεύγεται εἰς ἅλα βάλλων

adiutus codicibus E *Y* b ζ, margine O (in Mülleri annotatione legitur „*E E Y* b ζ“ fortasse errore typographico scriptum); sed hac lectione textum emendari nego: nam hoc loco sensu efflagitatur ceterorum codicum, inter quos est A, lectio

κόλπους κυμαίνοντας ἐρεύγεται ἔνδοθι βάλλων

---

62) Hanc insolentem dictionem voci affingit Eustathius: „*στροφάδες οὗτος νῦν εἶπε τὰς τοῦ ἀστέρος τοῦ καρκίνου κατ' οὐρανὸν στροφάλιγγας καὶ κινήσεις.*“

63) Utitur ea in vertigine astrorum pingenda Aratus v. 43.

id quod etiam Priscianum legisse ex eius versu 623 apparet:[64])

„ast Asiae gremio triplex mare confugit undis".

Exilis sane et plane supervacanea vox ἅλα („oceanus eructat sinus turbidos mare iniciens") videtur esse, si non apponitur ut in v. 43 ἔνδοθι.

In versu 674 Müller et Schneideri, pater et filius, scripserunt

ὑπαὶ ῥιπὴν,

productione ὑπαι adhibita in quarta arsi, Schneider filius fortasse, quod ex Mülleri annotatione critica ad hunc versum inepte desumpsit, ὑπαὶ esse lectionem codicis optimi.[65]) Müller enim annotat: „ὑπὸ ῥιποῖσι D.; ὑποῤῥιπ. M.; ὑπαὶ K N O; ὑπὸ cett." Sed A. Ludwich huic versui excussit A: ὑποῤῥιπῆσι — id est ὑπὸ ῥιπῇσι,[66]) quam formam in textum recipiendam esse contendo.

Hanc lectionem huic loco praeter editores Passowium et Bernhardyum retinuit imprimis A. Rzach in libello, qui inscribitur „Studien zur Technik des nachhomerischen heroischen Verses" p. 36 cum, comprobatam esse productionis in quarta arsi consuetudinem apud Periegetam versibus 429 (ποτὶ ῥιπὴν) et 470 ἐπὶ ῥιπὴν, ostendisset.

---

64) Hanc unam lectionem noscunt etiam Paraphr. et Eustath. (Paraph.: ἔσωθεν βάλλων εἰς τὴν ἤπειρον τῆς Ἀσίας; Eustath.: ἔνδοθι) — Lectionem codd. E Y b ζ praebitam inculcatam esse ex ceteris versuum clausulis, effectis iisdem vocibus, quas Dionysius ex Apoll. Rhodii carmine desumpsit cf. Ap. Rh. II. 401, 368, II. 744. verisimile est.

65) Max. Schneider l. c. p. 9. „nec tamen dubito servare codicis optimi A, quae videtur, lectionem ὑπαὶ, quam praeterea ex usu in codice Homeri Veneto A (cf. La Roche die homerische Textkritik im Altertum p. 370) et ex Callimacheis omnibus codicibus hym. IV 25 et Apollonii optimis II 1229 docte sciteque demonstravit O. Schneider in Callim. I p. 259 sqq."

66) De caninae litterae iteratione pauca scripsit Bernhardy ad v. 470, afferens etiam ἐπιῤῥιπην.

Sane codex A eodem versus loco in v. 962 suppeditat ὑπαὶ ῥιπῆν; sed haec eadem inconstantia invenitur in codice Veneto A et in Apollonii Rhodii optimis, Laurentiano et Guelferbytano. (II 1229 ὑπαί, III 970 ὑπό). In Callimachi hymno IV,25 codices et editorum sententiae vacillant.

Qua in re ad Rzachii partes accedo, etiam recipientis ὑπὸ versui 962, cum facile Knoesio[67]) concedamus, ad „debiliorem productionem, quae putaretur firmandam, electam esse hanc figuram ὑπαί."

In versu 730 vulgata lectio *Οὖννοι*, quae quamquam nullo codice offertur, tamen in omnibus editionibus legitur, omnium editorum offensionem, lectiones ipsae codicum „*Οὖνοι* D E K O c d *Ὦννοι* Xx" (Müller) corruptelae suspicionem moverunt; nam praeter ceteros et Tycho Mommsen (l. c. pp. 65 et 76) et Müller (praef. et annot. ad h. v.) postquam fieri non posse, ut Periegeta dixerit „Hunnos" quae gens primum quarto saeculo innotuerit,[68]) recte perspexerunt, scripturam *Οὖνοι* depravatam esse, contendunt, ex Eratosthenis, quem Strabo prodat, *Ουιτιοι* aut Ptolemaei *Οὖδαι* (varia lect.: *οὖλαι*) aut Varronis (apud Plinium VI. 15, 38) Udinis.[69])

Ac profecto scriptoris aut magistri alicuius imprudentia, cum iam per omnium ora volitavit fama Hunnorum, vagantium et imperium Romanum vexantium, corrupta est et depravata haec vox, sed ex lectione vetustissimi codicis

---

67) Knoes, „de digammo homerico" p. 303: „omnibus quidem his locis unus pluresve codices variam lectionem ὑπαὶ praebent (cf. La Roche)." Sed mirus est consensus optimorum codicum Apollonii Rhodii et Dionysii Periegetae, uno loco ὑπαί, altero ὑπὸ habentium.

68) Tycho Mommsen, p. 65. not. 5. „Dass die Hunnen schon unter Kaiser Carus (282) aufgetreten seien (Zonar. XII. 30) ist vermutlich falsch."

69) Müller ad h. v.: „ab his vero Udis sive Udinis non diversos esse Unos Dionysii tanto libentius Hillio, Lindnero aliis largiaris, quanto facilius *ΟΥΔΙνοι ΟΥΔΟΙ* . . . . in *ΟΥΝΟΙ* abierit."

A Θύνοι, quam primum excudit A Ludwich (l. c. p. 594 scribens: „730 Οὔνοι, das erste Ο aus ϑ corr.“): primus igitur codicis scriptor, cuius multo graviorem auctoritatem esse quam ceterorum codicis correctorum, iam supra dictum est, in exemplari suo invenit Θῦνοι, idem quod legit Priscianus (scribens „Thynus“).[70])

Equidem hanc optimi codicis formam Θῦνοι in textum recipiendam esse, censeo; — videlicet hac lectione recepta Periegetae geographicorum errorum haud ita parvo numero novum adicimus ita, ut ex difficultate, quam tollere nobis proposuimus, altera nata esse videatur; Θῦνοι enim a Strabone afferuntur populus Thracicus. Sed hoc Dionysii mendum geographicum leviter perferri posse, opinor, praesertim cum plane nondum constet, unde huic carminis parti sua deprompserit Periegeta. A. Goethio enim l. c. p. 35. certum est, Dionysium non ex ipso Eratosthene (ex quo ordinem populorum et Strabonem et Periegetam sumpsisse Müller vult) hausisse . . sed Goethe (eodem loco paulo infra), Strabonem et Dionysium eodem fonte usos esse, contendit. Utut autem res se habet, optimi codicis lectionem — Θῦνοι —, quae etiam antiqui interpretis testimonio suffulciatur, praeponendam esse censeo voci Οὔννοι, ab editoribus constructae, qua etiam maior interpretandi carminis difficultas paratur.

Versus 842 in editionibus legitur nunc

εὖτε Διωνύσοιο χοροστασίας τελέοιεν-

Mülleri annotatione critica complurium codicum varietas affertur τελέθοιεν, (A B D K M O c h κ ζ) qua voce efflagi-

---

70) Wernsdorf edidit „Unnus“ (variae lectiones Thimus, Tinus, Thynus); Bernhardy: Unnus; Müller: Thynus: „nec dubium est, quin Priscianus Thynus scripserit, quippe quae nominis forma e confusis litteris graecis O et Θ facilem habeat explicationem.“

tatur nominativus *χοροστασίαι*, uno codice ζ suppedidatus (cf. Müller); contra in ceteris manuscriptis, *τελέθοιεν* servantibus, perverse scriptum videtur esse *χοροστασίας*, etiam in A. Equidem *τελέθοιεν* huic loco retineo et versum in modum codicis ζ refingendum esse, censeo

εὖτε Διωνύσοιο χοροστασίαι τελέθοιεν.

Quam rectam esse emendationem, evincunt haec Callimachi verba: hymn. V (in lavacr. Minervae) v. 66 sq.

οὐδ' ὄαροι νυμφᾶν, οὐδὲ χοροστασίαι
Ἁδεῖαι τελέθεσκον . . .

nam cum Periegeta saepissime poetae Cyrenaici verba libenter et accuratissime amplectatur, (cf. imprimis Max. Schneider l. c.: de Dionysii dictione p. 21 sqq.) nemini dubium esse potest, quin hanc vocabulorum compositionem „*χοροστασίαι τελέθουσι*" eidem debuerit, praesertim quod vox *χοροστασία*[71]) novata est a Callimacho.

In versu 909 propono accipiendam lectionem codicis A — eam etiam suppeditant C E K L N b g m —

βαθὺν οὐρανίων ἄστρων χορὸν ἐφράσσαντο

quae vox dictioni poeticae propria satis arriserat Müllero, edenti *οὐρανίων ἄστρων πόρον*, sed annotanti „*χορὸν* . . nescio an recte".

At Bernhardy, quem „hanc diversitatem *χορὸν* multum blandiri" non fugit, tamen hanc vocem, „cuius veritatem non admodum persuaserit paucitas (!) librorum", (A C E K L N b g m . . .) plane reiecit, imprimis quod *βαθὺν* „lusus siderum innuere nequeat sua quidem significatione prudentis ac bene temperatae rationis."[72]) Equidem hancce Bernhardyi rationem, expellendae lectionis *χορόν* nequeo habere

---

71) *χοροστασία* praeter hunc Callimachi locum nobis occurrit in Nonn Dionys. 46. 165 et apud complures Anthologiae poetas, velut Antip. (Anthol. Pal. IX. 603).

72) Bernhardyi annot. ad. h. v.

gravem et aptam ad persuadendum: immo vero haec vocis βαθὺς significatio optime in hunc locum cadit et quadrat.

Sed gravius lectionis Mutinensis argumentum enascitur ex epigrammatis alicuius, quod inscribitur in Anthologia Palatina IX. 504 ἄδηλον εἰς τὰς Μούσας, versu, eadem fere haec verba praebente:

Οὐρανίη πόλον εὗρε καὶ οὐρανίων χορὸν ἄστρων

cuius loci nemo adhuc[73]) rationem habuit. Quod si hoc epigramma Callimachi sit, id quod voluit Natalis Comes,[74]) haud scio an nemo dubitet, quin hanc vocum compositionem Periegeta debeat poetae Cyrenaico; sed Jacobs,[75]) Naeke,[76]) Schneider,[77]) indignum esse epigramma Callimacho affirmaverunt; imprimis autem Schneideri offensionem movet imbecillitas poetae, qui „εὗρε illud paene ad nauseam usque sexies repetitum semel tantum v. 5. variare sciverit.“ Qua in re fugisse videntur Schneiderum variae lectiones huius epigrammatis, quae exstant in Natalis Comitis Mythologiae libris X. Natalis enim versui 4 praebet lectionem βάρβιτον ἦρε (attollit b.) pro Schneideri εὗρε, versui 7 Πολυμνία δῶκεν, ut quater tantum repetitum legas εὗρεν in epigrammate, enumerante inventiones Musarum. Quare mihi Ottonis Schneideri rationes, quibus, a Natali Comite primum hoc epigramma Callimacho inepte obtrusum esse, comprobare vult, non videntur satis graves. — Ac si non sit Callimachi epigramma, tamen ex eius versu 8 argumentum extitisse lectionis χορόν, opinor.

---

73) Nubem exemplorum, quibus poetarum esse metaphoram usitatam „astrorum chori“ comprobatur, collegerunt N. Heinsius ad Val. Flaccum V 46 et Gesner ad Claudianum, Cons. Mall. 103.

74) cf. Natalis Comitis Mythologiae libri X, Genevae 1602 (lib. VII, C. XV: de musis).

75) cf. Jacobsii annot. ad Anthol. Pal. ad hoc epigr.

76) Naeke, opuscula tom. II (insunt Callimachi Hecale, fragmenta collegit et disposuit A. F. Naeke — Bonnae 1845).

77) Otto Schneider, Callimachea, tom. II. excursus ad h. epigr.

Versus 917

ἧχι περ Ἀντιόχοιο ἐπώνυμος Ἀντιόχεια

non invenitur in codicibus A. M. N.; in o ad imam paginam adscriptus est; quem esse spurium, recte jam suspicatus est Spohnius, cui exilis dictio stomachum movit; attamen editores eum in textu retinuerunt et primum Carolus Müller uncellis inclusit; sed non genuinum esse Dionysii versum inde apparet, quod hiatu *Ἀντιόχοιο ἐπώνυμος*, sane ab aliis poetis admisso, sed a Periegeta, egregio versificatore, plane alieno, contaminatus est, id quod primus monuit Tycho Mommsen l. c. p. 70. not. 5, ubi in hunc modum disputat:

> „Ob der zwei Zeilen früher stehende Vers 917, welchen Avien, Priscian und Eustath übergehn, manche Hdschr. auslassen und nur der Paraphrast anerkennt, echt sei oder nicht, hat mit unserer Frage wenig oder nichts zu thun. Unecht aber ist er gewiss. Er ist schon dadurch verdächtig, weil er mit unserm Verse (920) einen unzierlichen Gleichklang hat, ausserdem durch den Hiatus, welcher, obwohl nach *οιο* erträglich (Herm. Orph. 726) doch diesem eleganten Dichter völlig fremd ist. Er ist ein Beweis dafür, dass interpolierte Verse sich fast immer durch die Form mehr als durch den Inhalt verraten —"

Ad hanc Tych. Mommseni sententiam plane accedo: quam ob rem hunc versum, quem a docto ludi magistro, ut accuratius Antiochiae ad Daphnen situs describeretur, in carmen illatum esse, verisimile est, ex textu Periegetae expellendum esse opinor.

Versus 941 nunc legitur in editionibus

τῷ καὶ γεινομένῳ κηώδεα φύετο πάντα

quod quanta exilitate dictum sit, facile perspiciaṡ, cum totum hunc locum paulo accuratius consideraveris; quare

mihi liceat hos versus, latine traditos, adscribere: v. 939 sqq.: „profecto illic terrarum Jupiter ipse Bacchum femore consuto exsolvit, nascenti etiam omnia fiebant odorata, oves quoque tum densis velleribus onerabantur in pascuis, lacus sponte aquis scaturiebant, aves ab alia parte ex desertis insulis advenerunt, portantes folia integri cinnamomi; sed ille . . . .“ Qua in descriptione, quam a Periegeta secundum Callimachum[78]) (in Del. 260 sqq.) effictam esse, Maxmilianum Schneiderum praeteriit, de Dionysii dictione disputantem (l. c. p. 20. sqq.), verba „omnia fiebant odorata“ tam inania ac vana sunt, ut librariorum errorem subesse putaverim. Ac profecto patefecit hunc errorem A. Ludwich, codicis A lectionem in lucem proferens: *τῷ καὶ γεινομένῳ*[79]) *κηώδεα γείνατο πέζαν*[80]) „nascenti etiam odoratam reddidit oram“, id quod poeta insignem huius orae virtutem et miraculum praedicat: v. 935 sqq.:

ἄλλο δέ τοι καὶ θαῦμα μέγ' ἔξοχον ἔλλαχ' ἐκείνη (*πέζα*),
αἰεὶ κηώεσσα θύοις ὕπο λαρὸν ὄδωδεν . .

atque idem, quod legisse videtur Avienus, qui in his versibus vertendis religiosius quam alibi ad Periegetam accedit: Avien. 1123 sq.:

---

78) cf. Call. IV. 260 sqq.:

χρύσεά τοι τότε πάντα θεμείλια γείνετο Δῆλε,
χρυσῷ δὲ τροχόεσσα πανήμερος ἔρεε λίμνη,
χρύσειον δ' ἐκόμησε γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης . . .

Dionysium hos Callimachi versus memoria tenuisse aut ante oculos habuisse, comprobatur his verbis, apud utrumque fere iisdem: Call. *πανήμερος ἔρρεε λίμνη.* — D. P. *αὐτόματοι δὲ κατέρρεον ὕδασι λίμναι.*

79) In initio versus levis macula relicta est in cod. A., suppeditante *γειναμένῳ*; perverse! nam aoristus *ἐγεινάμην* significat idem ac *γεννάω*, pario; contra verbi *γείνομαι* praesens et imperfectum recte vertitur verbo nascendi, quod hoc loco sensu efflagitatur.

80) De vocis *πέζα* significatione apud Dionysium iam supra verba feci; ceterum cf. Bernhardy, annot. ad v. 61.

. . . „tellus effudit dives odores,
villorum subitis tumuit pecus incrementis . . .“

Quem versum, aequali verborum *γεινομένῳ* — *γείνατο* sonu insignem, maxime proprium habeo Periegetae, qui, poetarum seriorum exemplum aemulans, cum sit inferior epicis vetustioribus ingenio, doctrina et artificiosa verborum compositione excellere studet ita saepe, ut in ludibria abierit; atque Periegetam talibus ludicris, quorum in numerum supra etiam acrosticha rettuli, non indigere, iam Tycho Mommsen perspexit: (l. c. p. 79) „Nicht häufig kommen dabei auch Spielereien, wie 416 ff., Alliteration (440) u. dgl. vor.“ Mihi igitur haec artificiosa, sed ludibunda quasi verborum copulatio argumentum genuinae lectionis, non ut Bernhardyo[81]) causa suspicionis corruptelae, videtur esse.[82])

Mirum mihi videtur, quod in versibus 1080 et 1081:

φράζεο δ' εἰς αὐγὰς λοιπὸν πόρον Ἀσίδος αἴης.
ἐγγύθι γάρ τοι πέζα τελείεται ἠπείροιο . . .

vox *λοιπὸν* nullius adhuc moverit offensionem: huius enim lectionis vacillat sententia, cum vocabula *ἐγγύθι γὰρ* plane

---

81) cf. Bernhardy, annot. ad h. v.: „nescio cur *γείνατο* Spohnius recepturus fuerit, quod secundum *γεινομένῳ* neque ad sonum nec notione potest gratum accidere.“

82) Lectione *γείνατο* etiam difficultas metrica tollitur: legitur enim nunc in editionibus *φύετο*, longa prima syllaba, in quinto pede; cuius mensurae, hoc loco versus admissae, nullum priorum poetarum habeo exemplum. — nam in praesenti, imperfecto, perfecto verbi *φύω* semper utitur Homerus vocali correpta (cf. Curtius, Verbum d. griech. Sprache). Cum in vv. 318, 724, 1013 $\bar{υ}$ longa primi pedis licentia excusetur et $\bar{υ}$ longae, in thesi non correptae in v. 1031, Schneiderus (l. c. p. 20) Alexandrinorum poetarum, Nicandri et Euphorionis exempla proferat, (in versu 1010, *πεφύασι* brevem habet *υ*), huius versus *φ$\bar{υ}$ετο* non invenio exemplum. — Quanta autem religiositate etiam verborum mensurae, Periegeta sese ad Homerum et Alexandrinos applicaverit, ex Schneideri disquisitione apparet cf. p. 20 sqq.

non habeant, unde pendeant. Atque denuo unius codicis A lectione

φράζεο δ' εἰς αὐγὰς λεπτὸν πόρον,

quae neque Prisciano (interpretanti: „reliquas Asiae sub finibus oras") neque paraphrastae (ὑπόλοιπον πόρον) neque editoribus innotuisse videtur, huic incommodo mederi possumus; quod si λεπτὸν in textum receperis, intellegas quid γὰρ vocabulo affirmetur. Atque hanc vocis λεπτὸς significationem (angustus) a solemni scriptorum usu non recedere, haec exempla attulisse satis sit: Od. ζ 264: λεπτὴ εἰσίθμη (Eustathio στενὴ δίοδος); Xen. Cyr. 5. 4. 46.:

ἐπὶ λεπτὸν καὶ ἀσθενὲς τό μάχιμον τετάχθαι; Polyb. (ed. Bekker) I, 27, 7: ἐπὶ λεπτὸν ἐκτεταμένους et. III 113, 6: ἐπὶ λεπτὸν ἐκτεταγμένων.

Has habui codicis Mutinensis lectiones, comprobatas locis eorum scriptorum, quorum verba Dionysius in usum suum convertit, aut qui ex Periegetae carmine suis opusculis hauserunt vocabulorum compositiones aut voces geographicas, quas editorum vulgatis praeponendas censerem.

Sed restat etiam in codice A copia lectionum, quas expedire frustra allaboravi[83]) et quas, quod sunt aequalis pretii ac receptae ab editoribus, auctoritate codicis Mutinensis, signiferi illius, satis suffulciri contendo, ut probabiliores haberi debeant: quorum ex numero has lectiones affero:

v. 68 πυκνοῖσι pro πυκινοῖσι; cf. paraph.

v. 119 πόντος (Ἴσσικος) pro κόλπος.

v. 184 πυμάτῃ μὲν ὑπὸ γλωχῖνι pro πυμάτην μὲν ἐπὶ γλωχῖνα . .

v. 186 ἀναπέπταται pro παραπέπταται.

---

83) Futurum esse, ut mihi contingat alio loco de his lectionibus disserere earumque pretium accurate pensitare, spero.

v. 208 *δ' ἂν* pro *δ' αὖ* — cf. 390, ubi Müller praebet *δ' ἂν* pro A. *δ' αὖ*.

v. 213 *Ἀμυκλαίων ἕδος ἀνδρῶν* pro editorum *γένος*. Bernh.: „ex his *ἕδος* dictionis venustate commendaretur, nisi id totum vocabulorum genus, quod ad sensus quandam societatem refertur, *παῖδες*, *ἔθνος*, *γένος*, *ἕδος*, *πέδον* perpetua jactatione fluctaretur . . cf. etiam Bernh. ad. 564: „in tanta nominum affinium fluctuatione . . . libris obtemperemus necesse est."

v. 232 *τῷ πέρι* pro *παρὰ*; cf. v. 679. (*τόσσοι Τάναιν . . περιναιετάουσιν.*)

v. 270 *πόρον* pro *τύπον Εὐρώπης* efflagitatur versus 331 *λοιπὸν πόρον*, demonstrans vocem antecedentem *πόρον* . .

v. 272 *τέτραπται* pro *ἔστραπται*; cf. 931 *πέζα τετραμμένη* . .

v. 277 *πλευροῖς ἀμφοτέροισιν* pro *πλευρῇς*, quam vocem semper adhibet Müller; etiam v. 891 reicit *πλευροῖσι* quamquam hanc vocem, rariorem illam quidem, sed consuetudini poeticae magis propriam retinet 892 et 958 *πλευρόν*. —

v. 302 *νέμονται* pro *κέχυνται*; cf. Bernh.

v. 318 *δὲ* pro Mülleri *τε*.

v. 376 *κεῖται* pro *ναίει* „quod inusitata notionis proprietate suffulciri" vult Bernh.; attamen haesitans *κεῖται* deturbavit.

v. 382 *μυχάτου ἐπὶ πείρασι πόντου* pro *μυχάτοις ἐπὶ* . . . .

v. 384 *στρεπτὴ περισύρεται ἅλμη* (A B G H K L M N O *Y* d r *ζ*!) pro *στρεπτὴν ἀπερεύγεται ἅλμην*. cf. Scholion. Paraph.: „*σύρεται ἢ τὴν θάλασσαν ἀπερεύγεται*"; perverse igitur Müller lectionis testimonium affert paraphrastae; paraph. legit *σύρεται* atque hanc vocem interpretatus est „*ἀπερεύγεται*", quod saepius in periegesi nobis occurrit . . varietatem *ἀπερεύγεται*,

quam elegit Müller, ex hoc paraphrastae loco exstitisse, verisimile est.

v. 390 δ'αὖ pro δ'ἂν; cf. v. 208.

v. 392 ὀφίων σκολιῶν γένος ἠλλάχθησαν (cf. schol. Nic. Ther. 607) pro Mülleri σκολιὸν δέμας ἠλλάξαντο.

v. 396 συνίασι pro Mülleri ξυνίασι, uno codice C. suppeditata lectione.

v. 397 γίνεται pro γίγνεται. cf. Bernh.

v. 409 τῆς πρὸς μὲν pro Mülleri τῆς μὲν πρὸς — cf. v. 254 Müller: τῆς πρὸς μὲν . . v. 302 A et Müller: τοῦ μὲν πρὸς . . . .

v. 412 ἀναφλύουσι pro ἀναβλύζουσι; cf. Ilias Φ. 361: ἀνὰ δ'ἔφλυε καλὰ ῥέεθρα . .

v. 423 πρόσθε pro νέρθε; cf. vv. 579. 511.

v. 431 ὑπὸ σκοπιὴν . . pro μετὰ . . cf paraph.; Eust.; 415. ὑπὸ σκοπιὴν; vv. 535. 561. 814. 894. 1035. 1162.

v. 452 παρὰ τέρμασιν pro ἐπι . .

v. 509 ἐπήρατος αἶα pro ἄστυ, satis insolentis significationis hoc loco . .

v. 530 περιπαμφαίνουσιν pro περιπαμφανόωσιν . .

v. 570 νησιάδων pro νησίδων; cf. Bernh.

v. 570 ἧχι γυναῖκες . . pro ἔνθα . .

v. 600 κατὰ πόντον A B E G H L M N O . . . .! pro περὶ.

v. 603 δ' ἂν pro δ' αὖ; non intellego, id quod vult Bernh., ipsum verborum tenorem voluntatem optantis requirere; simplicem narrationis formam praebet hic versus.

v. 604 καταβρόξειε pro καταβρώξειε; cf. Buttmann, Lexil. II. p. 121. cf. Ap. Rhod. II. 271 . . . Lycophron 742.

v. 649 ἔχουσι (A B C E H L M O X) pro ἔθεντο.

v. 717 αἰθερίων ὁδὸν ἄστρων pro αἰθερίην. cf. 909 οὐρανίων . . ἄστρων.

v. 718 περίτροχον pro περίδρομον; cf. schol.

v. 721 *ὀξὺ δ' ἐπ' ἄρκτους* pro *αἰψ δὲ μετ'* . . cf. Prisc. 687 exacuit pars . . .

v. 726 *ὅσα οἱ πέρι* pro *μιν*.

v. 731 *Ἀλβανοὶ δ'* pro *τ'*.

v. 747 *ἧς δία μέσσος* (A *μέσος*) *ἑλίσσεται* pro *ἀνὰ μέσσον* . . cf. Bernh.: „si poetici sermonis elegantiam spectamus, *μέσσος* potius conveniret."

v. 807 *ἀπενόσφισε νύμφη*: cf. Bernh.: „varietas ista videtur ex simili quodam loco illata fuisse, quamquam si certior auctoritas adesset, nemo talem lectionem repudiaret" — adest auctoritas! A!

v. 822 *παῖδες Ἰώνων* pro *ἔθνος*; cf. Prisc. 786 „sanguis Jonum".

v. 850 *κικλήσκουσιν* pro *φημίζουσιν* . .

v. 866 *πολέων ποταμῶν* pro *πλεόνων* . .

v. 891 *πλευροῖσι* pro *πλευρῇσι*. cf. supra ad v. 277.

v. 948 Satis mihi arridet codicis A lectio: *πλεκτοὺς ἀνεδήσατο θύρσους* pro vulgata *ἀνεσείσατο*. cf. Bernh.: „fallor aut poetae manum praestantissimi libri servarerunt, qui quod *ἀνεδήσατο* tradunt, congruit ad amussim Euripidis dictioni Bacch. 176: *θύρσους ἀνάπτειν καὶ νεβρῶν δορὰς ἔχειν*." — Haud scio an Dionysio in memoriam recurrerit vox Homerica: *πλεκτὴ ἀναδέσμη* Il. *X*. 469, scribenti *πλεκτοὺς ἀνεδήσατο* . .

v. 989 *δύνων πολλὸς* pro Mülleri *πολλόν*. cf. v. 222 *πολὺς ἕρπων*. v. 123 *ἄγκυλος ἕρπων*. cf. Call. hym. IV 13. *πουλὺς ἑλίσσων*. et Call. fragm. 115 (Schneider).

v. 1044 *νομοῖς* pro *νομῷ*.

v. 1060 *χρύσεα δ' ἱππείοισιν ἐπὶ στομάτεσσι* pro *χρύσεα δ' αὖθ' ἵπποισιν* — probabilior mihi videtur lectio codicis A, suffulta his exemplis: Ilias. *E* 799 *ἵππειον ζυγὸν*, *K* 568 *ἱππεία φάτνῃ*, Od. *δ*. 40. *κάπαι ἵππειαι*.

Aesch. Sept. 115. *γενύων ἱππείων χαλινοί*. Pindar. Nem. 9. 22. *ἵππεια ἔντεα*. Theoc. 16. 81. *ἵππειαι ἔθειραι.*

v. 1072 *ἑλισσόμενοι* (A C E G H K L M N O *Y* x . . .!) pro *ἐλαυνόμενοι.*

v. 1097 *Παρπανίσοιο* pro *Παρνησοῖο;* cf. Prisc. 1005 Parpanei. cf. Eustath. cf. Bernh. ad 737. „neque est Arrianus silendus, qui *Παραπάνισος* constanter . . usurpavit.“ Cum *Παραπάνισος* (◡◡◡◡ . .) metro obstaret, verisimile est, facillima commutatione Periegetam scripsisse *Παρπάνισος* . .

v. 1148 *ἑλκομένην* pro *ἑλκομένου.* cf. imprimis Bernhardy.

Theses.

---

1. In Dionysii Periegetae versu 492 propono scribendum pro „*μετὰ δρυμὰ Κεραύνια* . .“ „*μετὰ λυπρὰ Κεραύνια*“.
2. Epigramma Anthologiae Palatinae, (IX. 504) quod inscribitur *ἄδηλον εἰς τὰς Μούσας*, sine iusta causa adimitur Callimacho.
3. Rectissime Schneidewin Simonidis Amorgini carminis *περὶ γυναικῶν* versum 42 spurium dicit.

Vita.

Eugenius *Victor* ***Anhut*** *natus sum Allensteinii postridie Non. Octob. a. 1863 patre Rudolpho, matre Julianna de gente Langhankiana, quos adhuc superstites colo. Fidei addictus sum catholicae. Gymnasium frequentavi Rastenburgense quod etiamnunc floret auspiciis viri doctissimi Friderici Jahn; vere a. 1882 testimonium maturitatis adeptus sum. Deinde in academia Regimontana philologiae studui per quinquennium. Audivi viros hos illustrissimos:*

Bezzenberger, Friedlaender, Hirschfeld, Jordan †, Ludwich, Ruehl, Schade, Thiele, Walter,

quibus omnibus, imprimis autem Ludwichio, studiorum meorum moderatori, gratias ago semperque agam.

Studia non interrupi, nisi ut stipendia mererem.